Compendium institutionum chirurgicarum / [Joseph Jacob Plenck].

Contributors

Plenck, Joseph Jacob, Ritter von, 1738-1807

Publication/Creation

Vienna : R. Gräffer, 1780.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/xqe5g925

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

Y 41548/B

H. VII. Ple

Doct. et Profri. Chir. J. J. Plenck.

posuit
Mart. Lange M. Doctor.

d. p. Joh. Mart. Stock 1777.

q. p. Quir. Marck 1778.

75 392

JOSEPHI JACOBI PLENCK,

CHIRURGIÆ Doctoris, nec non Chirurgiæ, Anatomes, atque Artis obstetriciæ Professoris Cæsareo-Regii, publici, ac ordinarii in Cæsareo-Regia Universitate Budensi.

COMPENDIUM INSTITUTIONUM CHIRURGICARUM

PRO

TIRONIBUS CHIRURGIÆ.

EDITIO SECUNDA, AUCTA, EMENDATA.

VIENNÆ,

APUD RUDOLPHUM GRÆFFER, 1780.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

INDEX

DOCTRINARUM, QUÆ SCIENTIAS PRÆPARATORIAS CHIRURGIÆ CONSTITUUNT.

1. *Anatome.*
2. *Hygrologia.*
3. *Physiologia.*
4 *Pathologia.*
5. *Pharmacologia.*
6. *Doctrina de fasciis.*
7. *Doctrina de instrumentis chirurgicis.*
8. *Notitia Authorum chirurgicorum.*

INDEX

SCIENTIARUM, QUÆ CHIRURGIAM PRACTICAM CONSTITUUNT.

I. DOCTRINÆ COMMUNES.

1. *Doctrina vulnerum.*
2. ——— *ulcerum.*
3. ——— *tumorum.*
4. ——— *prolapsuum.*
5. ——— *herniarum.*
6. ——— *deformitatum.*
7. ——— *de morbis ossium.*
8. ——— *de operationibus chirurgicis.*

II. DOCTRINÆ PECULIARES.

1. *Doctrina de morbis oculorum.*
2. ——— — ——— *dentium.*
3. ——— — ——— *cutaneis.*
4. ——— — ——— *venereis.*
5. ——— *chirurgia forensi.*
6. ——— *arte obstetricia.*
7. *Casuistica*
8. *Historia chirurgiæ.*

DE ANATOMIA GENERATIM.

ANATOMIA eſt ſcientia, quæ humani corporis ſtructuram docet.

Hæc ſcientia in 7. dividitur *Doctrinas.*

1. eſt *Oſteologia*, quæ de oſſibus agit.
2. — *Syndeſmologia*, quæ de ligamentis.
3. — *Myologia*, quæ de muſculis.
4. — *Splanchnologia*, quæ de viſceribus.
5. — *Angiologia*, quæ de vaſis ſanguiferis.
6. — *Nevrologia*, quæ de nervis.
7. — *Adenologia*, quæ de glandulis tractat.

DE PARTIBUS SOLIDIS IN GENERE.

Corpus humanum partibus conſtat *ſolidis* & *fluidis.*

Solidæ partes in *duras* & *molles* dividuntur. Oſſa & cartilagines partes vocantur duræ; muſculi, & omnes reliquæ ſunt molles.

Omnes partes ſolidæ conſtant ex *minimis fibris.*

OSTEOLOGIA
SEU
DOCTRINA DE OSSIBUS.

OSSA ſunt partium ſolidarum duriſſimæ, ſicciſſimæ, & inſenſibiles.

Compages ossium totius corporis, in naturali situ connexorum, vocatur sceletus.

Sceletus est vel *naturalis* si ossa propriis adhuc ligamentis, *artificialis* si ossa sine ligamentis ope filorum ferreorum connexa sunt.

DIVISIO SCELETI.

Sceletus dividitur in *caput*
truncum
& *extremitates.*

Caput dividitur in *cranium* &
faciem.

Facies dividitur in *maxillam superiorem* &
inferiorem.

Truncus dividitur in *spinam*
thoracem &
pelvem.

Extremitates dividuntur in *superiores* &
inferiores.

Extremitates superiores dividuntur.
in *summitatem humeri.*
— *brachium.*
— *antibrachium* &,
— *manum.*

Manus dividitur in *carpum*
metacarpum &
digitos.

Extremitates inferiores dividuntur in *femur*
crus &
pedem.

Pes dividitur in *tarſum*
metatarſum &
digitos.

NUMERUS ET NOMEN OSSIUM.

Sceletus adulti hominis conſtant ex 240 oſſibus.

Cranium conſtat ex 8. oſſibus.

1. Os *frontis.*
1. Os *occipitis.*
2. Oſſa *parietalia.*
2. Oſſa *temporalia.*
1. Os *ſphænoideum.*
1. Os *ethmoideum.*

Maxilla ſuperior conſtat 13. oſſibus.

Duo oſſa *maxillaria ſuperiora.*
jugalia.
lachrymalia.
naſalia.
palatina.
ſpongioſa inferiora.

Unum os *vomer.*

Maxilla inferior conſtat uno oſſe.
maxilla inferior.

Cavum oris habet oſſa propria 33.
32. *dentes.*
1. *os hyoides.*

Cavum auris habet oſſa propria 4.
Stapes.
Malleus.
Incus.
Os orbiculare.

Spina dorſi ex 24 vertebris conſtat.

7. *vertebræ colli.*

12. *vertebræ dorſi.*

5. *vertebræ lumborum.*

Thorax habet oſſa 25.

24. *Coſtæ.*

1. Os *ſterni.*

Pelvis conſtat oſſibus 4.

2. Oſſa *innominata.*

1. Os *ſacrum.*

1. Os *coccygis.*

Sumitas humeri habet 2. oſſa

Clavicula.

Scapula.

Humerus conſtat oſſe uno.

Os humeri.

Antibrachium habet oſſa 2.

Cubitus.

Radius.

Carpus conſtat oſſibus 8. quæ duas ſeries formant.

Metacarpus conſtat 5. oſſibus.

4. Oſſa *metacarpi digitorum.*

1. Os *metacarpi pollicis.*

Digiti habent 14. oſſicula.

Pollex 2. *phalanges.* Quilibet digitus 3. habet.

Femur habet unum os.

os *femoris.*

Crus conſtat 3. oſſibus.

Tibia.

Fibula

Patella.

Tarſus habet 7 oſſa.
Metatarſus conſtat 5. Oſſibus.
Digiti, pedis habent 14. *phalanges.*
Pollex 2. *phalanges.*
Digiti 3. *phalanges* habent.

OSSIUM NEXUS.

Tria ſunt connexiorum *genera.*

I. Nexus *mobilis* qui *articulatio* vocatur.
II. *Nexus immobilis.*
III. *Nexus mediatus.*

Articulationum ſeu nexus mobilis, ſunt 5 ſpecies.

I. *Articulatio profunda* ſeu *Enarthroſis.*
II. *Articulatio plana* ſeu *Arthrodia.*
III. *Articulatio Gingliformis* ſeu *Ginglymus.*
IV. *Articulatio cardiniformis* ſeu *Trochoides.*
V. *Articulatio ambigua* ſeu *Amphyarthroſis.*

Nexus immobilis ſunt 3. ſpecies.

I. *Sutura.*
II. *Harmonia.*
III. *Gomphoſis.*

Connexionis mediatæ ſeu *ſimphyſis* ſunt 5. ſpecies.

I. *Synchondroſis* ſeu ſimphyſis *cartilaginea.*
II. *Syſſarcoſis* ſeu ſimphyſis *muſcularis.*
III. *Synevroſis* ſeu ſimphyſis *ligamentoſa.*
IV. *Syndesmoſis* ſeu ſimphyſis *membranacea.*
V. *Synoſtoſis* ſeu ſimphyſis *oſſea.*

Articulationum conditiones ſic ſe habent.

I. *Enarthroſis* eſt articulatio in omnem ambitum mobilis cum cavo profundo. Caput femoris

cum acetabulo oſſium innominatorum unice ſic articulatur.

II. *Arthrodia* eſt articulatio in omnem ambitum mobilis cum cavo fere ſuperficiali. Caput humeri cum cavitate glenoidea ſcapulæ, & digitus index cum ſuo oſſe metacarpi ſic articulatur.

III. *Ginglymus* eſt articulatio, quæ ſolummodo flexionis & extenſionis motum admittit. Genu cum femore, cubitus cum humero ſic movetur.

IV. *Trochoides* eſt articulatio in qua rotatio circa cardinem obſervatur. Sic caput & prima vertebra colli circa proceſſum otondoideum vertebræ colli ſecundæ movetur.

V. *Amphyarthroſis* eſt oſſium articulatio cum motu vix viſibili. Sic oſſa metacarpi & metatarſi articulantur & moventur.

Species *connexionum immobilium* ſic conſtituuntur.

I. *Sutura* eſt oſſium immobilis connexio ope marginum dentiformium. Sic oſſa cranii connectuntur.

II. *Harmonia* eſt oſſium immobilis connexio ope marginum aſperorum non dentiformium. Sic plurima oſſa faciei connexa ſunt.

III. *Gomphoſis* eſt oſſium immobilis connexio, in qua os oſſi adeo infixum eſt, ut clavus parieti. Sic radices dentium infiguntur alveolis maxillarum.

Species *connexionum mediante alio corpore* ſic ſunt conſtitutæ.

I. *Synchondrosis* seu *simphysis cartilaginea* est ossium connexio ope cartilaginis intermediæ. Sic corpora vertebrarum, sic ossa pubis inter se connectuntur.

II. *Syssarcosis* seu *simphysis muscularis* est ossium connexio per musculos. Sic os hyoides cum variis partibus connectitur.

III. *Syndesmosis* seu *simphysis ligamentosa* est ossium connexio per ligamenta. Sic radius cum ulna, sic tibia cum fibula ope ligamenti interossei connectuntur.

IV. *Synevrosis* seu *simphysis membranosa* est ossium cohæsio ope membranæ. Sic in fætu ossa parietalia cum frontali cohærent.

V. *Synostosis* seu *simphysis ossea* est ossium concretio ope substantiæ intermediæ osseæ. Sic maxilla inferior, quæ in fœtu ex duabus partibus constat, in sua medietate in adultis concrescit.

OSSIUM SUBSTANTIA.

Hæc triplex invenitur.

Substantia *compacta* in corpore.
spongiosa in extremitatibus.
reticularis in cavo medulæ ossium est.

Substantia compacta ex latis & plurimis sibi invicem incumbentibus lamellis constat.

Substantia spongiosa ex brevibus sibi non incumbentibus sed sibi opposite locatis lamellis constat, quæ spongiæ similes cellulas format.

Subſtantia reticularis ex tenuibus filamentis oſſeis, quæ retis adinſtar ſibi nectuntur, conſtat.

COLOR OSSIUM.

I. In ſubſtantia *compacta* eſt albido-rubens.
II. — ſubſtantia *ſpongioſa* eſt fuſco-rubens.
III. — externa *cranii* tabula eſt albido-cæruleſcens.

USUS OSSIUM.

I. *Fulciunt* totum corpus. II. *Formant* corporis ſtaturam. III. *Deffendunt* viſcera. IV. Dant muſculis *adhæſionem* & ſitum.

DE CRANIO IN GENERE.

De cranio notari debet

Diviſio in *calvariam* & *baſim*.

Compoſitio ex 8. oſſibus.

Connexio. Hæc 8. oſſa connectuntur per *ſuturas*.

Suturæ cranii in 3. *veras* & 2. *ſpurias* dividuntur.

I. Suturæ *veræ ſunt* 3.

Sutura coronalis, quæ os frontis cum oſſibus parietalibus.

Sutura ſagittalis, quæ oſſa parietalia invicem conjungit.

Sutura lamdoidea ſeu *occipitalis*, quæ os occipitis cum oſſibus parietalibus & temporalibus colligat.

II. *Suturæ ſpuriæ* ſunt 2. ſuturæ *ſquamoſæ* ſeu *temporales*, quæ os temporis ad marginem inferiorem oſſis parietalis utrinque conjungunt.

Subſtantia cranii. Cranium conſtat ex *interna* & *externa* tabula compacta, inter quas ſubſtantia

ſpongioſa, quæ *Diploë* vocatur, intercedit. Interna cranii tabula etiam ob politam & fragilem ſuperficiem *Vitrea* dicitur.

Oſſicula, quæ *Wormiana* vocantur; inveniuntur præcipue in ſutura lamboidea.

8. *Foſſæ* in baſi cranii, quæ cerebrum & cerebellum continent, inveniuntur
   2. Foſſæ *anteriores*, quæ ab oſſe frontali & ethmoideo formantur
   2. Foſſæ *mediæ*, quæ ab oſſe ſphænoidali & temporali.
   2. Foſſæ *occipitales ſuperiores*, quæ ab oſſe occipitali.
   2. Foſſæ *occipitales inferiores*, quæ ab eodem & temporali formantur.

Foramina in baſi cranii ſunt.
   10. *paria &*
   2. *imparia.*

Foraminum parium ſunt.
   1. Foramina *cribroſa* in oſſe ethmoideo.
   2. Foramina *optica* in oſſe ſphænoideo.
   3. *Fiſſuræ orbitales ſuperiores.*
   4. Foramina *rotunda.*
   5. ———*ovalia.*
   6. ———*ſpinoſa* in eodem.
   7. Canales *carotici* in parte petroſa oſſis temporum.
   8. Foramina *auditoria interna* in eadem parte.
   9. Foramina *lacera* inter os temporis & os occipitis.

10. Foramina *condyloidea anteriora* in osse occipitis.

Foraminum imparium sunt 2.

1. *Foramen cæcum* inter os frontis & os ethmoideum.
2. *Foramen occipitale magnum* in osse occipitali.

I. Per *foramina cribrosa* transeunt nervi *olfactorii* ad cavum narium.

II. Per *foramina optica* transeunt nervi *optici* & per illos *arteria centrales.*

III. Per *fissuras orbitales superiores* transit *tertium*, *quartum*, *primus ramus quinti paris*, & *sextum par* nervorum cerebri, atque *arteria orbitalis interna.*

IV. Per *Foramina rotunda* transit *secundus* ramus quinti paris.

V. Per *foramina ovalia* transit *tertius* ramus quinti paris.

VI. Per *foramina spinosa* intrat in cranium arteria spinosa ad duram matrem.

VII. Per *canales caroticos* intrat arteria *carotis interna* & exit *nervus intercostalis magnus.*

VIII. Per *foramina auditoria* transit portio *dura* & *mollis nervi auditorii* & *arteria auditoria interna.*

IX. Per *foramina lacera* exit *vena jugularis interna*, *octavum par* nervorum, & *nervus accessorius.*

X. Per *foramina condyloidea anteriora* exeunt *nervi linguales* seu nonum par.

Per foramina imparia transeunt.

I. Per *foramen cæcum* exit parva vena.

II. Per *foramen occipitale magnum* exit *medulla spinalis* & intrant *arteriæ vertebrales*, atque *nervi accessorii* medullæ spinalis.

In cranio infantum neonatorum adnotari debet *fontanella* seu locus ille membranosus in syncipice, qui nondum ossificatus est.

OS FRONTALE.

Situs in antica cranii parte.

Figura est ut media concha.

Divisio in *superficiem externam* & *internam.*
in *basim* & *marginem.*

Processus in superficie externa sunt.

1. *Tubera frontalia*, quæ latera externæ superficiei constituunt.
2. *Arcus superciliares*, qui margines superiores cavorum orbitalium sunt.
3. *Spina frontalis externa* est apophysis cui ossa nasi incumbunt.
4. Duæ *apophyses orbitales externæ* &
5. Duæ *apophyses orbitales internæ.* Quæ angulos orbitarum constituunt.
6. *Spina fontalis interna*, quæ in basi ossis ante foramen cæcum in interna superficie est.

Cavitates in *superficie externa.*

1. *Cavitates duæ orbitales*, quæ orbitæ partem superiorem constituunt.

2. *Fovea glandulæ lachrymalis* in externo angulo orbitæ.
3. *Fovea pro trochlea musculi obliqui superioris bulbi* in interno angulo orbitæ.
4. *Foramen superciliare* quod nervum frontalem emittit.
5. Duo *sinus pituitarii frontis* in basi ossis inter dehiscentes tabulas ossis.

Cavitates internæ.

1. *Sulcus* in medietate pro sinu longitudinali duræ matris.
2. *Foramen cæcum* sub spina frontali interna.
3. *Excisura ethmoidea* pro receptione ossis ethmoidis.

Connexio cum 7. ossibus. 1. Cum ossibus *parietalibus*. 2. Cum ossibus *nasi*. 3. Cum ossibus *lachrymalibus*. 4. Cum ossibus *maxillaribus superioribus*. 5. Cum ossibus jugalibus. 6. Cum osse *ethmoideo*. 7. Cum osse *sphænoideo*.

Usus. Constituit frontem, partem superiorem orbitæ *continet* lobos anteriores cerebri.

OSSA PARIETALIA.

Situs. Sibi invicem accumbunt in parte suprema cranii.
Figura fornicata & quadrata fere est.
Divisio in *superficiem externam* & *internam*.
in 4. *Margines.*
Superior seu sagittalis.
inferior seu temporalis.
anterior seu coronalis.

in 4.

in 4. *Angulos.*

Duo *anteriores* unus *ſuperior* alter *inferior.*

Duo *poſteriores* pariter *ſuperior* & *inferior.*

Cavitates externæ.

Foramen parietale, quod in parte poſtica marginis ſagittalis eſt, & arteriolam duræ matris emittit.

Cavitates internæ.

Sulci media pars in margine ſagittali pro ſinu longitudinali duræ matris.

Sulcus pro arteria ſpinoſa in angulo anteriori & inferiori.

Connexio cum 5. oſſibus. 1. Cum ſuo *ſocio* per ſuturam ſagittalem. 2. Cum oſſe *temporis* per ſuturam ſquamoſam. 3. Cum oſſe *ſphænoideo* per eandem ſuturam. 4. Cum oſſe *frontis* per ſuturam coronalem. 5. Cum oſſe *occipitis* per ſuturam lambdoideam.

Uſus. Hæc oſſa conſtituunt cranii partem ſuperiorem.

OS OCCIPITIS.

Situs in parte cranii poſtica & inferiori.

Figura eſt quadrata oblonga.

Diviſio in ſuperficiem *externam* & *internam.*

Prominentiæ externæ ſunt,

1. *Tuberculum occipitale externum* quod in medietate oſſis eſt.
2. *Proceſſus baſilaris* qui a foramine occipitali magno ad os ſphænoidale extenſus eſt.

3. *Processus condyloidei*, qui ad latera foraminis occipitalis magni locantur, & foveis articularibus primæ vertebræ colli excipiuntur.

Prominentiæ internæ.

1. *Spina cruciata*, quæ in medietate interna ossis est, & in quatuor ramos dividitur.
   - *Ramus superior*, qui processui falciformi
   - *Rami* duo *laterales*, qui tentorio cerebelli
   - *Ramus inferior*, qui septo cerebelli dat adhæsionem.

Cavitates externæ.

1. Duæ *excisuræ* pro formando foramine lacero in marginibus inferioribus.
2. *Foramen occipitale magnum*, per quod *medulla spinalis* exit, & *arteriæ vertebrales*, atque *nervi accessorii spinales* intrant.
3. Duo *foramina condyloidea anteriora* ante processus condyloideos, quæ *nonum* seu *linguale par nervorum* emittunt.
4. Duo *foramina condyloidea posteriora* retro processus condyloideos per quæ vena occipitalis exit.

Cavitates internæ.

1. Duæ *fossæ occipitales superiores*, quæ posticos cerebri lobos excipiunt.
2. Duæ *fossæ occipitales inferiores*, quæ cerebellum excipiunt.
3. *Fossa medullæ oblongatæ*, quæ in processu basilari est.
4. *Sulcus superior* spinæ cruciatæ, in quo *sinus longitudinalis superior* locatur.

5. Duo *ſulci laterales*, qui *ſinus laterales* duræ matris excipiunt.

Connexio cum 4. oſſibus. 1. Cum oſſibus *parietalibus*. 2. Cum oſſibus *temporum*. 3. Cum oſſe *ſphænoideo*. 4. Condyli cum *foveis articularibus* primæ vertebræ colli connectuntur.

Uſus. *Conſtituit* partem poſticam & inferiorem cranii. *Continet* lobos cerebri poſteriores, cerebellum & medullam oblongatam. *Inſervit* articulationi capitis.

OSSA TEMPORUM.

Situs ad latera & partem cranii inferiorem.

Figura irregularis eſt.

Diviſio in tres partes.
in *ſquamoſam*.
mamillarem &
petroſam.

Proceſſus externi ſunt.

1. *Apophyſis zygomatica*, quæ ex parte ſquamoſa emergit.
2. *Tuberculum articulare*, quod radix apophyſis zygomaticæ eſt, & ante foveam articularem locatur.
3. *Apophyſis ſtyloidea* ex parte petroſa emergit.
4. *Apophyſis maſtoidea*, quæ in parte mamillari eſt, & cui muſculus ſternomaſtoideus adhæret.

Cavitates externæ ſunt,

1. *Fovea articularis* in inferiore ſuperficie.
2. *Orificium externum meatus auditorii*, quod in externa ſuperficie oſſis eſt.

3. *Foramen ſtylomaſtoideum*, inter proceſſum ſtyloideum & maſtoideum, ex hoc foramine *portio dura nervi auditorii* in tempora exit.

4. *Canalis caroticus*, qui parti petroſæ inſculptus eſt, *nervo intercoſtali magno* pro exitu & *arteriæ carotidi internæ* pro introitu inſervit.

5. *Exciſura* in parte petroſa, quæ cum oſſis occipitalis exciſura *foramen lacerum* conſtituit.

6. *Tuba Euſtachiana*, quæ inter partem petroſam & ſquamoſam e cavo tympani exit.

Cavitates internæ ſunt,

1. *Meatus auditorius internus* in ſuperficie poſtica partis petroſæ, qui *nervum auditorium mollem* transmittit.

2. *Orificium internum aquæ ductus Fallopii*, quod in meatus auditorii interni orificio eſt, & *nervum auditorium durum* recipit.

Connexio cum 5. oſſibus. 1. Cum oſſe *parietali*. 2. Cum oſſe *occipitali*. 3. Cum oſſe *ſphænoidali*. 4. Cum oſſe *jugali*. 5. Cum *maxilla inferiori*.

Subſtantia. *Pars ſquamoſa* ex tabulis & diploe. *Pars mamillaris* ex cellulis. *Pars petroſa* ex ſubſtantia compacta conſtat.

Uſus. Lobos cerebri medios & partem cerebelli, & organum auditus continet. Tempora & baſim cranii conſtituit.

OS SPHOENOIDEUM.

Situs in medietate basis cranii.

Figura multiformis est, vespertilioni, cujus alæ expansæ sunt, comparatur.

Divisio in *corpus* & *apophyses*.

in *superficiem externam*, quæ extra cranium.

in *superficiem internam*, quæ intra cranium est.

Prominentiæ externæ sunt,

1. *Spina sphænoidalis*, quæ cum vomere nasi connectitur.
2. *Alæ majores*, quæ in partem *temporalem*, *orbitalem* & *cerebralem* dividuntur.
3. *Apophysis pterygoidea*, quæ radicem in parte superiori & duas *alas parvas* in parte inferiori habet.
4. *Hamulus* in ala interna.
5. *Apophyses spinosæ*, quæ penes foramina spinosa sunt.

Prominentiæ internæ.

1. *Alæ minores*, quæ partem superiorem fissuræ orbitalis internæ constituunt.
2. *Apophyses clinoideæ anteriores & posteriores*, quæ anguli sellæ turcicæ sunt.

Externæ cavitates sunt,

1. *Sinus pituitarii sphœnoidales*, qui corpori ossis insculpti sunt.
2. *Foramina canalis pterygoidei*, quæ in radice apophysium pterygoidearum sunt, per quæ *ramus recurrens* quinti paris nervorum in cavum cranii redit.

Cavitates internæ.

1. *Sella turcica*, quæ fovea eſt inter quatuor apophyſes clinoideas.
2. *Foramina optica*, per quæ *nervus opticus* & in ejus meditulio *arteria centralis* tranſit.
3. *Rimæ orbitales ſuperiores*, quæ *tertium*, *quartum*, primum ramum *quinti paris*, & *ſextum par nervorum* atque *arteriam orbitalem internam* tranſmittunt.
4. *Foramina rotunda*, quæ *nervum maxillarem ſuperiorem.*
5. *Foramina ovalia*, quæ *nervum maxillarem inferiorem* tranſmittunt.
6. *Foramina ſpinoſa*, per quæ arteria ſpinoſa in cavum cranii intrat.

Connexio cum 9. oſſibus. 1. Cum oſſe *frontis.* 2. Cum oſſe *ethmoideo.* 3. Cum oſſibus *parietalibus.* 4. Cum oſſibus *temporalibus.* 5. Cum oſſibus *jugalibus.* 6. Cum oſſibus *maxillaribus ſuperioribus.* 7. Cum oſſibus *palatinis.* 8. Cum oſſe *vomere.* 9. Cum oſſe *occipitali* per Synchondroſim ligamentoſam.

Uſus. Format baſim cranii; *concurrit* ad formationem orbitæ & ſinuum pituitariorum naſi.

OS ETHMOIDEUM.

Situs anterius in baſi cranii, & ſimul in ſuprema narium parte.

Figura cubiformis eſt.

Diviſio in ſex *ſuperficies.*

Superficies ſuperior cavum cranii reſpicit.

Superficies inferior in cavum narium prominet.

——— *anterior* ſinubus frontalibus contigua eſt.

——— *poſterior* oſſi ſphænoideo jungitur.

——— *laterales* ; *dextra* & *ſiniſtra* orbitæ partem internam conſtituunt.

Prominentiæ externæ & *internæ* ſunt,

1. *Criſta galli*, quæ ſuperficiem internam in duas partes diſcernit, & proceſſui falciformi duræ matris pro puncto adhæſionis inſervit.
2. *Lamina cribroſa*, quæ internam oſſis ſuperficiem format.
3. *Lamina perpendicularis*, ſeu *ſeptum ethmoïdale*, quod ſubſtantias cavernoſas dividit, & in regione inferiori cum vomere connexum eſt.
4. *Subſtantia cavernoſa* in utroque latere laminæ perpendicularis una, quæ ex cellulis oſſeis conſtat, & oſſa ſpongioſa ſuprema format.
5. *Plana papyracea*, quæ ſubſtantias cavernoſas a latere tegunt, & orbitæ partem lateralem internam conſtituunt.

Cavitates externæ & internæ.

Foramina cribroſa, quæ plurima ſunt juxta criſtam galli in interna ſuperficie, & tranſmittunt ramulos *nervorum olfactoriorum.*

Connexio cum 7. oſſibus. 1. Cum oſſe *frontis.* 2. Cum oſſibus *naſi.* 3. Cum oſſibus *maxillaribus ſuperioribus.* 4. Cum oſſibus *lachrymalibus.* 5. Cum oſſibus *palatinis.* 6. Cum oſſe *ſphænoideo.* 7. Cum oſſe *vomere.*

Usus. Constituit organum odoratus, partem nasi, cranii, & orbitæ.

DE OSSIBUS FACIEI IN SPECIE.

OSSA MAXILLARIA SUPERIORA.

Situs in parte anteriori & media faciei.

Figura est irregularis.

Divisio in *corpus*, quod pars media est, & multos *processus.*

Prominentiæ externæ & *internæ* sunt,

1. *Apophysis nasalis*, quæ partem lateralem nasi efficit.
2. ——— *orbitalis*, quæ inferiorem orbitæ partem constituit.
3. ——— *jugalis*, quæ asperitas est cum osse jugali connexa
4. ——— *palatina*, quæ anteriorem palati partem constituit.
5. *Arcus alveolaris*, qui in utroque osse ex 8. alveolis constat.
6. *Tuberositas maxillaris*, quæ superficiem posticam facit.
7. *Spina nasalis*, quæ interius in nasi cavo a connexione ossium maxillarum formatur.
8. *Margo orbitalis*, qui inferiorem marginem orbitæ constituit.

Cavitates internæ & *externæ.*

1. *Foſſa lachrymalis*, ſeu ſulcus in ſuperiori & interna parte proceſſus naſalis pro ſitu ſacci lachrymalis.

2. *Canalis naſalis*, qui a foſſa lachrymali oblique parum deſcendit in cavum narium.

3. *Canalis infraorbitalis*, qui apertus in inferiori orbitæ parte incipit, dein tectus ſub apophyſi orbitali pergit, & ſub margine orbitali inferiori in faciem aperitur; transmittit *nervum infraorbitalem*, qui continuatio nervi maxillaris ſuperioris eſt.

4. *Foramen palatinum anticum*, quod in ſpina naſali eſt, & *arteriam palatinam anticam* transmittit.

5. *Foramen palatinum poſticum*, retro ultimum dentem molarem in tuberoſitate maxillari, qui *nervum alveolarem* intromittit.

6. *Apertura ſinus maxillaris*, quæ ab oſſe ethmoideo, lachrymali, palatino, & ſpongioſo inferiori adeo tegitur, ut vix calamum ſcriptorium admittat.

7. *Sinus maxillaris pituitarius*, qui in medietate oſſis eſt, & *Antrum Higmori* vocatur. Magna eſt cavitas, quæ ſuo orificio ſeu apertura in cavum narium hiat.

Connexio cum 11. oſſibus partim per *ſuturas* partim per *harmonias*. 1. Cum ſuo *ſocio*. 2. Cum oſſe *frontali*. 3. Cum oſſibus *naſi*. 4. Cum oſſibus *lachrymalibus*. 5. Cum oſſe *ethmoideo*. 6. Cum oſſibus *jugalibus*. 7. Cum oſſibus *palatinis*.

8. Cum osse *sphænoideo*. 9. Cum ossibus *spongiosis inferioribus*. 10. Cum osse *vomere*. 11. Cum *dentibus*.

Usus. Format partem faciei, palati, nasi, narium, & orbitæ. Est simul organum masticationis.

OSSA JUGALIA.

Situs ad latera faciei.

Figura fere quadrata.

Divisio in *superficiem externam* & *internam*.
in *corpus* & 4. *apophyses*.

Prominentiæ sunt,

1. *Apophysis frontalis*, quæ cum osse frontali in externo orbitæ angulo connectitur.
2. ——— *orbitalis*, quæ partem orbitæ.
3. ——— *malaris*, quæ ossi maxillari contigua est.
4. ——— *zygomatica*, quæ cum processu zygomatico ossis temporalis connexa, *zygoma* constituit.

Cavitates sunt,

1. *Fovea zygomatica*, quæ retro os jugale est.

Connexio cum 4. ossibus. 1. Cum osse *frontis*. 2. Cum osse *maxillari*. 3. Cum osse *sphænoideo*. 4. Cum osse *temporali*.

Usus. Est pro formatione faciei & orbitæ.

OSSA NASI.

Situs in parte superiori & media nasi.

Figura quæ oblonga & quadrata est.

Divisio in *superficiem externam* & *internam*; & in quatuor *margines*.

Margo superior ossi frontali contiguus.

Margo inferior cum cartilagine nasi conjunctus.

Margo internus cum suo socio connexus est, & inferius apophysi perpendiculari ossis ethmoidei accumbit.

Margo externus apophysi nasali ossis maxillaris occurrit.

Connexio cum 4. ossibus. 1. Cum suo *socio*. 2. Cum osse *frontali*. 3. Cum osse *maxillari*. 4. Cum osse *ethmoideo*.

Usus. Constituit nasum, & tegit organum odoratus.

OSSA LACHRYMALIA.

Situs in angulo interno orbitæ.

Figura quadrata est.

Divisio in *superficiem externam* & *internam*, & in 4. *margines*.

Margo superior cum osse frontali

Margo inferior cum osse maxillari cohæret.

Margo internus cum apophysi papyracea ossis ethmoidei &

Margo externus cum apophysi nasali ossis maxillaris conjungitur.

Cavitates.

1. *Sulcus medius* in margine externo, qui cum sulco medio apophysis nasalis ossis maxillaris *fossam lachrymalem* constituit.

Connexio cum 4. ossibus. 1. Cum osse *frontali*. 2. Cum osse *maxillari*. 3. Cum osse *ethmoideo*. 4. Cum osse *spongioso inferiori*.

Usus. Constituit partem orbitæ, ductus lachrymalis, & labyrinthum narium obtegit.

OSSA SPONGIOSA INFERIORA.

Situs in parte laterali & inferiori narium.

Figura, quæ cochlidi similis fere est.

Divisio in *superficiem externam*, quæ concava sinum maxillarem respicit.

in *superficiem internam*, quæ convexa septo nasi obversa est.

in duos *margines*.

Margo superior eminentiæ transversali ossis maxillaris adhæret.

Margo inferior liber in cavitate nasi pendet.

in duas *extremitates* in *anteriorem* & *posteriorem*.

Connexio cum 3. ossibus per *harmonias*. 1. Cum osse *maxillari*. 2. Cum osse *palatino*. 3. Cum osse *lachrymali*.

Usus. Superficiem organi odoratus augmentat. Aperturam Antri hygmoriani angustare juvat.

OSSA PALATINA.

Situs in posteriori parte nasi, ex qua lateraliter in orbitam usque ascendit.

Figura est irregularis.

Divisio in *tres partes*.

1. in partem *palatinam*, quæ palatum format.

2. in partem *nasalem*, quæ in naso ad orbitam ascendit.

3. in partem *orbitalem*, quæ in orbitam prominet.

Prominentiæ.

1. *Apophysis pterygoidea*, quæ ope incisuræ cum extremitate apophysis pterygoideæ ossis sphænoidalis, & tuberositate ossis maxillaris conjungitur.

2. *Linea eminens*, in superficie partis nasalis cui extremitas posterior ossis spongiosi inferioris incumbit.

Connexio cum 6. ossibus. 1. Cum suo *socio*. 2. Cum osse *maxillari*. 3. Cum osse *sphænoidali*. 4. Cum osse *ethmoideo*. 5. Cum osse *spongioso inferiori*. 6. Cum osse *vomere*

Usus. Format palatum, cavitatem nasi, orbitæ partem.

VOMER.

Situs in medietate cavi narium, quod in duas partes dividit.

Figura quæ speciem vomeris refert.

Divisio in duas *superficies* & 4. *margines*.

Margo anterior, cui cartilago septi narium ossis ethmoidei adnectitur.

Margo posterior, fauces respicit.

Margo inferior, qui in sulco ossium palati & maxillarium recipitur.

Superficies dextra & *sinistra*, cavitates narium respiciunt.

Connexio cum 4. ossibus & una cartilagine. 1. Cum osse *sphænoidali*. 2. Cum osse *ethmoideo*. 3.

Cum osse *maxillari superiori*. 4. Cum osse *palatino*. 5. Cum *cartilagine septi narium*.

Usus. Sustinet & dividit cavum narium.

MAXILLA INFERIOR.

Situs in inferiori & anteriori parte faciei.

Figura soleæ ferreæ equinæ similis dicitur.

Divisio in *superficiem internam* & *externam*.
in *marginem superiorem* & *inferiorem*.
in *corpus* seu partem mediam & *extremitates*.

Prominentiæ.

1. *Apophysis condyloidea*, quæ fovea articulari ossis temporum excipitur.
2. *Apophysis coronoidea*, quæ acuminata est, atque tendini musculi temporalis pro adhæsione inservit.
3. *Symphisis maxillæ*, est linea eminens in medietate corporis.
4. *Margo alveolaris*, qui 16. alveolos habet.
5. *Margo inferior*, qui *labium externum* & *internum* format.
6. *Anguli maxillæ*, qui in extremitatibus marginis inferioris sunt.

Cavitates.

1. *Excisura semilunaris*, quæ inter apophysim condyloideam & coronoideam est.
2. *Foramen maxillare posterius*, in interna superficie.
3. *Foramen maxillare anterius*, in externa superficie.
4. *Canalis mentalis*, qui in ossis substantia, sub dentibus a foramine posteriori ad anterius per-

git, & *nervum maxillarem inferiorem* cum *arteria* & *vena maxillari* transmittit.

5. *Alveoli dentium* 16. in ſuperiori margine maxillæ.

Connexio cum fovea articulari oſſis *temporis* & cum oſſe *hyoideo* per muſculos.

Uſus. Eſt maſticationis organum.

DE CAVITATIBUS FACIEI IN SPECIE.

Præter cavitatem cranii quinque aliæ cavitates in capite ab oſſibus cranii & faciei formantur.

1. *Orbitæ.*
2. *Cavitas narium.*
3. *Cavitas oris.*
4. *Cavitas faucium.*
5. *Cavitas auditus.*

ORBITÆ.

Situs ſub fronte ad latera radicis naſi.

Figura eſt conoidea.

Diviſio in *introitum* & *fundum.*

Introitus dividitur

in *marginem ſuperiorem* & *inferiorem.*

in *angulum externum* & *internum.*

Anguli orbitæ etiam *canthi* vocantur.

Cavitates in orbita ſunt,

1. *Fovea glandulæ lachrymalis* in externo
2. *Fovea trochleæ orbitalis* in interno angulo.
3. *Foſſa lachrymalis* pro ſitu *ſacci lachrymalis.*
4. *Canalis naſalis lachrymarum* eſt continuatio foſſæ lachrymalis, pergit oblique in nares, & ibi ſub oſſe ſpongioſo inferiori aperitur.

5. *Rima orbitalis ſuperior.*
6. *Rima orbitalis inferior.*
7. *Foramen ſuperciliare.*
8. *Canalis infraorbitalis.*
9. *Foramen opticum.*

Compoſitio orbitæ ex 7. oſſibus. Superius ex oſſe *frontis.* Inferius ex oſſe *maxillari* & *jugali.* Interius ex oſſe *lachrymali, ethmoideo,* & *palatino.* Exterius & in fundo ex oſſe *ſphænoideo.*

Uſus. Continet, & defendit oculum ejusque partes adjacentes.

CAVITAS NARIUM.

Situs ſub antica cranii parte in medietate faciei.

Diviſio mediante ſepti oſſei in *dextram* & *ſiniſtram cavitatem.*

Figura pyramidalis eſt.

Prominentiæ ſunt.

1. *Septum narium*, quod a vomere & lamina perpendiculari oſſis ethmoidei conſtituitur.
2. Tria paria *oſſium ſpongioſorum.*
   Suprema &
   Media, quæ ambæ ſunt partes oſſis ethmoidalis.
   Inferiora, quæ ſeparata ſunt.

Cavitates ſunt,

1. *Sinum pituitariorum*, tria paria.
   Sinus frontales in oſſe frontali.
   —— *ſphænoidales* in oſſe ſphœnoidali.
   Sinus maxillares qui etiam *Antra Higmori* vocantur, in oſſe maxillari ſunt.

2. *Foramina*

2. *Foramina narium antica*, quæ ab osse maxillari & vomere.

3. *Foramina narium postica*; quæ ab ossibus palatinis & vomere formantur.

Compositio nasi ex 14. ossibus. 1. Ex osse *frontis*. 2. Ex ossibus *maxillaribus*. 3. Ex ossibus *nasi*. 4. Ex ossibus *lachrymalibus*. 5. Ex ossibus *spongiosis inferioribus*. 6. Ex osse *sphænoideo*. 7. Ex osse *vomere*. 8. Ex osse *ethmoideo*. 9. Ex ossibus *palatinis*.

Usus est, ut formetur organum odoratus atque sinus pituitarii narium.

CAVUM ORIS.

Situs intra superiorem inferiorem maxillam.

Figura anterius ovata posterius transversim abscissa.

Divisio in *maxillam superiorem* & *inferiorem*.

Compositio ex 5. ossibus & 32. dentibus. 1. Ex ossibus *maxillaribus superioribus*. 2. Ex ossibus *palatinis*. 3. Ex *maxilla inferiori*.

Usus hujus cavi est pro masticatione.

DENTES.

Sunt osscula parva alveolis maxillarum infixa.

Numerus ordinarie 32. sunt. In qualibet maxilla 16.

Divisio in tres species.

in 4. *medios* qui *incisivi* dicuntur.

— 2. *caninos*, quorum singulus, ad latus incisiorum est.

— 10. *molares*, quorum in singulo latere 5. sunt.

Divisio cujuslibet dentis est.

in *coronam*, quæ pars suprema dentis extra gingivas prominens est.

— *collum*, quod circulus sub corona est.

— *radicem*, pars inferior dentis alveolo abscondita.

Differentia coronarum.

Coronæ dentium incisorum sunt latæ, & habent marginem acuminatum.

Coronæ dentium caninorum sunt crassæ & apicem habent obtusum.

Coronæ dentium molarium sunt pluribus eminentiis accuminatæ.

Differentia radicum.

Radices dentium incisorum sunt simplices & tenues.

Radices dentium caninorum sunt etiam simplices, sed longiores & crassiores quam in incisoribus.

Radices dentium molarium sunt in primo simplices, in cæteris autem duplices, triplices, quadruplices, quæ subinde concretæ sunt.

Cavitas dentis. In radice qualibet *foramen* est, quod in parvam *cavitatem*, quæ in dentis substantia interna est, ducit. Per hoc foramen intrat *nervus, arteria, vena alveolaris*, & *periosteum internum* dentis.

Substantia dentis in *radice* compacta est. *Coronæ* superficies externa peculari substantia durissima & albissima, quæ *vitrea* vocatur, & loco perioستei externi est, obducitur.

Connexio. Radices dentium alveolis per gomphosim seu inclavationem infiguntur.

Usus est ad *masticationem.*

Genesis dentium. Fœtus duplicem seriem dentium in qualibet maxilla gingivis occultam habet.

Tempus primæ dentitionis est sexto vel septimo post partum mense. Hi dentes *dentium primariorum* seu *lactariorum* nomine insigniuntur.

Tempus secundæ dentitionis. Circa septimum ætatis annum lactarii dentes sensim excidunt, & sensim novi ex iisdem alveolis subnascuntur, hi vocantur, *dentes secundarii*, seu *perennes* quia per vitam durant.

Ultimi dentes molares admodum sero in adulta jam ætate prodeunt, ideo *dentes sapientiæ* etiam dicuntur.

CAVITAS FAUCIUM.

Situs sub basi cranii, intra corpora superiora vertebrarum colli & posticam narium partem.

Figura est superius quasi quadrata.

Divisio in sex partes.

in *supremam*, quæ a processu basilari ossis occipitis.

in *anticam*, quæ ab *apophysibus pterygoideis* ossis sphænoidalis, ossibus *palatinis* & *vomere* formatur.

in *posticam* quæ a tribus supremis vertebrarum colli corporibus.

in duas *partes laterales*, quæ ab ossis temporis partibus petrosis formantur.

Compositio ergo est ex hisce 10. ossibus.

Usus. Est pro situ faucium, laryngis, pharyngis, ossis hyoidei.

OS HYOIDEUM.

Situs in faucibus intra linguæ basim & laryngem.

Figura est semilunaris.

Divisio in *corpus* & 4. *cornua.*

Prominentiæ sunt,

1. Duo *cornua majora*, quæ a lateribus corporis exeunt & cum cornubus cartilaginis scutiformis laryngis ope ligamentorum cohærent.
2. Duo *Cornua minora*, quæ etiam *ossicula triticea* vocantur & ad ortum cornuum majorum prominent.

Connexio cum sex partibus vel per musculos, vel per ligamenta. 1. Cum *lingua.* 2. Cum *laryngis* processibus. 3. Cum *processibus styloideis* ossis temporis. 4. Cum *maxilla inferiori.* 5. Cum *scapula.* 6. Cum *sterno.*

Usus. Inservit linguæ pro adhæsione, & deglutitione.

CAVITAS AUDITUS.

Situs est interne in parte petrosa ossis temporis.

Divisio in *meatum auditorium externum.*

— *cavitatem tympani*, in qua 4. ossicula auditus locantur.

— *labyrinthum.*

— *meatum auditorium internum.*

DE TRUNCO.

Truncus sceleti dividitur in *Spinam.*

Thoracem &

Pelvem.

SPINA DORSI.

Eſt columna oſſea, quæ in poſtica trunci parte a foramine occipitali magno ad os ſacrum uſque extenditur.

Compoſitio ex 24. vertebris.

Diviſio vertebrarum eſt in 7. *vertebras colli.*
12. *vertebras dorſi.*
5. *vertebras lumborum.*

Diviſio ſingulæ vertebræ eſt in *corpus* & 7. *apophyſes.*

Corpus eſt pars craſſa, quæ anticam partem vertebræ conſtituit.

Apophyſes 7. ſunt,

1. *Apophyſis ſpinoſa*, quæ in parte poſtica eminet.
2. Duæ *apophyſes obliquæ ſuperiores.*
3. Duæ *apophyſes obliquæ inferiores.*
4. Duæ *apophyſes transverſæ*, quæ ad latera ſunt.

Cavitates ſunt,

1. *Specus vertebralis*, qui *medullam ſpinalem* continet, & ab occipite ad poſticam ſuperficiem oſſis ſacri usque extenditur.
2. *Foramina lateralia vertebrarum*, quorum 24. ſunt, in quolibet corpore vertebrali medium. Hæc *nervos ſpinales* emittunt.

Connexio vertebrarum eſt duplex.

1. *Corpora* invicem per ſynchondroſim.
2. *Apophyſes obliquæ* unius vertebræ cum apophyſibus vertebræ ſociæ per arthrodiam conneſtuntur.

Uſus ſpinæ dorſi eſt, ut ſit fulcrum trunci & capitis, ut contineat & defendat medullam ſpinalem.

VERTEBRA PRIMA COLLI.

Hæc vocatur etiam *Atlas*.

1. Nec corpus, nec apophyſim ſpinoſam habet.
2. Eorum loco *arcum* anteriorem & poſteriorem format.
3. *Arcus anterior* proceſſum dentiformem vertebræ ſecundæ circumdat.
4. Loco apophyſium obliquarum ſuperiorum duos *ſinus articulares* habet, qui condylos oſſis occipitis excipiunt.
5. Superius cum capite, inferius cum ſecunda vertebra colli ope apophyſium obliquarum inferiorum, & proceſſus odontoidei cohæret.

VERTEBRA SECUNDA COLLI.

Hæc etiam *Axis* ſeu *Epiſtropheus* dicitur. Peculiare illi eſt.

Apophyſis odontoidea ſeu *dentiformis* in parte ſuperiori corporis, quæ intra arcum anteriorem atlantis ope ligamenti transverſalis in ſitu retinetur, & alio ligamento ad foramen occipitale magnum firmatur.

VERTEBRÆ COLLI.

Hoc peculiare habent.

Quod *apophyſes tranſverſæ* omnes peculiare habeant *foramen* pro aſcendentibus arteriis vertebralibus.

VERTEBRÆ DORSI.

Hoc peculiare in illis eſt.

1. Ad latera corporum *media fovea*, quæ corporibus duobus junctis *integram* constituunt pro capitulo major costarum.
2. *Superficialis fovea*, in apicibus apophysium transversarum pro capitulo minori costarum.

VERTEBRÆ LUMBORUM.

Maxima spinæ dorsi *mobilitas* est inter ultimam vertebram dorsi, & primam lumborum.

DE CAVITATE THORACIS.

Compositio ex 37. ossibus.
12. *vertebris* dorsi.
24. *costis*.
1. *sterno*.

Usus. Continet & defendit viscera vitalia. Inservit respirationi.

COSTÆ.

Situs est obliquus a vertebris dorsi ad sternum.
Figura est semicircularis.
Numerus; sunt 24. in quolibet latere 12.
Divisio generalis in 7. *veras*, quæ ad sternum nectuntur.
in 5. *spurias*, quæ ad sternum usque non pertingunt.
Divisio singulæ costæ.
in *corpus* & *extremitates* unam *anteriorem* alteram *posteriorem*.
in *superficiem externam* & *internam*.
in *marginem superiorem* & *inferiorem*.

Eminentiæ.

1. *Capitulum majus*, quod foveis articularibus vertebrarum dorſi nectitur.
2. *Collum*, quod intra duo capitula hæret.
3. *Capitulum minus*, quod apicibus apophyſium transverſalium vertebrarum dorſi adhæret.
4. *Angulus coſtæ*, qui pars poſterior maxime convexa coſtæ eſt.

Cavitates ſunt in qualibet coſta.

1. *Sulcus longitudinalis* in margine inferiore cujuslibet coſtæ, qui *arteriam intercoſtalem* recipit.

Subſtantia. Pars anterior *cartilaginea*, reliqua tota oſſea & *compacta* eſt.

Connexio. Extremitas anterior coſtarum verarum per ſynchondroſim cum ſterno nectitur.

Extremitates poſteriores omnium 24. coſtarum ope capituli majoris & minoris vertebris dorſi per gynglymum alligantur.

Uſus coſtarum eſt formare thoracem, inſervire reſpirationi, defendere viſcera vitalia, mammis adhæſionem dare.

STERNUM.

Situs in antica thoracis parte inter coſtas veras.

Figura pugioni aliquantūm ſimilis.

Diviſio in *ſuperficiem internam* & *externam.*

— *extremitatem ſuperiorem* & *inferiorem.*

— *margines* duos lateres.

— *portionem ſuperiorem, inferiorem* & *apendicem* partis inferioris, qui *Cartilago xyphoidea* ſeu *enſiformis* vocatur.

Cavitates.

1. *Sinus jugularis* in parte ſuprema & media cui trachea contigua eſt.
2. Duo *ſinus claviculares* ad latera partis ſupremæ, quibus claviculæ nectuntur.
3. 7. *foveæ coſtales* in margine laterali pro coſtis.

Connexio ſterni. 1. Cum *claviculis* per arthrodiam. 2. Cum *cartilaginibus* 7. coſtarum verarum per ſynchondroſim.

Subſtantia eſt admodum ſpongioſa.

Uſus eſt formare thoracem, mediaſtino dare adhæſionem.

DE CAVITATE PELVIS.

Situs in infima trunci regione.

Figura aliquantum pelvi tonſoriæ ſimilis.

Diviſio in *alas* & *cavitatem.*

Cavitas in *introitum* & *exitum.*

Compoſitio ex 4. oſſibus. Ex duobus oſſibus *innominatis.* Ex oſſe *ſacro* ex oſſe *coccygis.*

Connexio oſſium pelvis eſt per ſynchondroſim.

Uſus pelvis eſt continere organa generationis, veſicam, inteſtinum rectum. Fulcire ſpinam dorſi.

OSSA INNOMINATA.

Situs eſt ad latera pelvis.

Figura eſt irregularis.

Diviſio in fœtu in tres portiones.

in os *ilei*, quod partem ſuperiorem conſtituit.
in os *iſchii*, quod inferius.
in os *pubis*, quod anterius locatur.

Divisio totius ossis in *superficiem externam* & *internam.*

Eminentiæ sunt,

1. *Tuberositas* ilei, quæ in parte postica ossis ilei est, quo loco cum osse sacro cohæret.
2. *Crista* ilei, quæ marginem supremum & crassum ossis ilei format.
3. *Spina* ilei *posterior*, est initium cristæ ilei in parte postica.
4. *Spina* ilei *anterior* & *superior* est finis cristæ in parte antica.
5. *Spina* ilei *anterior* & *inferior* est statim sub priori spina.
6. *Crista ossium pubis*, quæ marginem superiorem ossium pubis constituit.
7. *Arcus* ossium pubis. Sunt in antica ossis innominati parte.
8. *Tuberositas* ischii est in inferiore margine ossis cui loco insidemus.
9. *Spina ischii* est retro tuberositatem ischii.

Cavitates.

1. *Cavitas iliaca externa*, quæ in externa ossis ilei superficie.
2. *Cavitas iliaca interna*, quæ in interna hujus ossis superficie est.
3. *Excisura* inter spinas ilei anteriores.
4. *Excisura ischiatica anterior*, quæ ante.
5. ——————— *posterior*, quæ retro spinam ischii est.
6. *Acetabulum* quod ab omnibus tribus portioni-

bus ossis innominati formatur & caput ossis femoris excipit.

7. *Fovea acetabuli*, quæ in fundo acetabuli est, & *glandulam synovialem* atque *ligamentum teres* femoris continet.

8. *Foramen ovale*, quod ab arcu ossis pubis & ischii formatur.

Connexio ossium *pubis* inter se per symphysim cartilagineam. Ossium *ilei* cum esse *sacro* per synchondrosim. Cum capite ossis *femoris* per enarthrosim.

Usus est constituere pelvim, uterum gravidum retinere in situ; pro femoribus acetabula parare.

OS SACRUM.

Situs est parte postica pelvis.

Figura est triangularis, antrorsum flexa.

Divisio in *superficiem anticam* & *posticam.*

— *basim* seu partem supremam.

— *latera* &

— *apicem.*

Prominentiæ.

1. Duæ *apophyses obliquæ superiores*, in basi ossis prominent.

2. *Tubercula apophysium spinosarum.*

3. ——— ——— *obliquarum*

4. ——— ——— *transversalium.* Quæ omnia in superficie postica sunt.

5. *Vestigia corporum vertebralium* in superficie antica.

Cavitates.

1. 4. *paria foraminum externorum*, quæ in externa ſuperficie inveniuntur.
2. 4. *paria foraminum internorum*, quæ *nervos ſacros* emittunt, ſunt in interna ſuperficie.
3. 5. *Canalis longitudinalis medius*, qui *nervos ſacros* continet, in poſtica ſuperficie eſt conſpicuus.

Connexio cum 4. oſſibus. 1. Cum ultima *vertebra* lumbali. 2. Cum oſſe coccygis. 3. Cum oſſibus *innominatis*.

Subſtantia eſt tota ſpongioſa, ex vertebris 5. quas *ſpurias* vocant, coalitis.

Uſus eſt conſtituere pelvim, ſuſtinere ſpinam dorſi.

OS COCCYGIS.

Situs eſt in apice oſſis ſacri.

Figura eſt triangularis.

Diviſio in *baſim*, *latera*, & *apicem*.
in *ſuperficiem externam* & *internam*.

Compoſitio ex 3. parvis vertebris *ſpuriis* cartilagine coalitis.

Connexio cum apice oſſis *ſacri* per ſynchondroſim. Cum oſſe *iſchii* per ſynevroſim ſeu ligamenta iſchio coccygea.

Uſus eſt conſtituere pelvim, ſuſtinere inteſtinum rectum præcavere in partu rupturam perinæi.

CLAVICULA.

Situs obliquus eſt in ſuprema & laterali thoracis parte inter ſternum & ſcapulam.

Figura eſt litteræ S. ſimilis.

Divisio in *corpus* & *extremitates*, unam *anteriorem*, alteram *posteriorem*.

in *superficiem superiorem* & *inferiorem*.

Cavitates.

Sulcus vasorum subclaviorum, qui in inferiore superficie est.

Connexio. Extremitas *anterior* cum *sterno*. Extremitas *posterior* cum *acromio* scapulæ per arthrodiam.

Usus est connectere scapulam & humerum cum thorace, defendere vasa subclavia.

SCAPULA.

Situs est in parte suprema & laterali dorsi.

Figura est triangularis.

Divisio in duas *superficies* quarum una *posterior* seu *externa*, altera *anterior* seu *interna* est.

in tres *margines* in *superiorem*, *externum* & *internum*.

in tres *angulos* in *superiorem externum*.
in *superiorem internum*.
in *inferiorem*.

Prominentiæ.

1. *Labia* marginis externi, qui etiam *basis* scapulæ vocatur.
2. *Collum* scapulæ, quod angulum superiorem externum format, & locus sub cavitate articulari est.
3. *Spina* est processus, qui superficiem posticam dividit.
4. *Acromium* est pars anterior spinæ.

5. *Apophysis coracoidea*, quæ in parte antica & superiori cavitatis articularis prominet.

Cavitates.

1. *Cavitas* articularis in collo scapulæ, quæ caput humeri excipit.
2. *Fovea acromii*, quæ cum clavicula cohæret.
3. *Cavitas supraspinata*, quæ supra spinam.
4. *Cavitas infraspinata*, quæ infra spinam scapulæ in superficie postica est.

Connexio cum 4. ossibus. 1. Cum *clavicula* per arthrodiam. 2. Cum *costis* & 3. Cum *osse hyoideo* per syssarcosim seu musculos. 4. Cum *humero* per arthrodiam.

Usus est dorsum defendere, humero articulationem parare.

OS HUMERI.

Situs est intra scapulam & antibrachium.

Figura est longa.

Divisio in *corpus* & *extremitates*. Unam *superiorem*, alteram *inferiorem*.

Prominentiæ sunt,

In *extremitate superiori.*

1. *Caput.*
2. *Collum* spatium sub capite.
3. *Tuberculum majus* quod posterius.
4. ——— *minus* quod anterius sub collo capitis est.

In *extremitate inferiori.*

3. *Condyli.* 1. *Condylus externus.*
   2. ——— *internus.* Qui pro adhæsione musculorum extensorum & flexorum digitorum sunt.

3. ——— *Condylus capitatus* pro articulo radii.

Trochlea humeri pro articulatione cubiti.

Cavitates ſunt.

In *extremitate ſuperiori.*

1. *Sulcus* tuberculorum pro tendine uno muſculi bicipitis.

In *extremitate inferiori.*

2. *Foſſa poſterior*, pro proceſſu anconeo cubiti.

3. *Foſſa anterior* pro apophyſi coronoidea cubiti.

Connexio cum tribus oſſibus. 1. Cum *ſcapula* per arthrodiam. 2. Cum *cubito* per ginglymum angularem. 3. Cum *radio* per ginglymum duplicem.

Subſtantia eſt triplex in corpore compacta, in extremitatibus ſpongioſa, interne reticularis.

Uſus eſt ut conſtituat brachium.

CUBITUS.

Situs in interno antibrachii latere verſus digitum minimum.

Figura eſt longa ſuperius craſſior quam inferius.

Diviſio in *corpus* & *extremitates*, quorum una *ſuperior* altera *inferior.*

Prominentiæ ſunt ſex.

In *extremitate ſuperiore.*

1. *Olecranum* ſeu *proceſſus anconeus* qui poſterius.

2. *Apophyſis coronoidea*, quæ anterius eſt.

In *extremitate inferiore.*

4. *Capitulum inferius*, quod parum excavatum.

5. *Collum capituli.*

6. *Apophyſis ſtyloidea*, quæ juxta capitulum eſt.

Cavitates.

1. *Cavitas Sigmoidea*, quæ inter proceſſum anconeum & coronoideum eſt, & trochleam humeri excipit.

Connexio cum 3. oſſibus. 1. Cum *trochlea humeri* per gynglymum. 2. Cum oſſibus *carpi* per arthrodiam. 3. Cum *radio* ſuperius & inferius per trochoidem.

Uſus conſtituit fulcrum primarium antibrachii.

RADIUS.

Situs eſt in externo antibrachii latere verſus pollicem.

Figura eſt longa.

Diviſio in *corpus* & duas *extremitates*. Unam *ſuperiorem*, alteram *inferiorem* : quæ craſſior, quam ſuperior eſt.

Prominentiæ in extremitate ſuperiore.

1. *Capitulum ſuperius* ſeu *excavatum* quod cum condylo capitato humeri articulatur.
2. *Capitulum muſculi* bicipitis, quod ſub collo capituli ſuperioris eſt.
3. *Apophyſis ſtyloidea*, quæ in inferiori extremitate eſt.

Cavitates.

1. *Cavitas glonoidea* in inferiore extremitate, quæ cum carpo articulatur.

Connexio. 1. Cum condylo capitato *humeri.* 2. Cum *cubito* ſuperius & inferius. 3. Cum oſſibus *carpi.*

Uſus eſt, ut antibrachium conſtituere juvet, ut flexioni, ſupinationi, & pronationi ejus inſerviat.

CARPUS

CARPUS.

Constituitur ex 8. ossiculis, quæ sibi in duplici serie accumbunt.

Situs eorum est intra antibrachium & metacarpum.

Divisio ossium in duas *series* in *superiorem*, & *inferiorem*.

in *serie superiori* sunt a pollice ad digitum minimum.

Os *naviculare*.
— *semilunare*.
— *cuneiforme*.
— *subrotundum*.

in *serie inferiori* sunt a pollice ad digitum minimum.

Os *multangulare majus*.
— ———— *minus*.
— *capitatum*.
— *unciforme*.

METACARPUS.

Situs est inter carpum & digitos.

Compositio ex 5. ossibus longitudinalibus.

1. Unum est pro *pollice*.
2. 4. sunt ossa *metacarpi digitorum*.

Connexio est duplex. 1. Cum *carpo*. 2. Cum *digitis*.

Usus est constituere mediam partem manus.

DIGITI.

Situs in extremitatibus inferioribus metacarpi.

Compositio. *Pollex* ex duobus.

Digiti ex tribus ossiculis constant, quæ *phalanges* vocantur.

Divisio phalangum in *supremam mediam, extremam.*

Usus est constituere digitos, qui instrumenta tactus, defensionis, & laboris sunt.

FEMUR.

Situs intra pelvem & tibiam.

Figura est longa.

Divisio in *corpus* & *extremitates.* Unam *superiorem* & alteram *inferiorem.*

Prominentiæ in *extremitate superiore.*

1. *Caput* est pars suprema semiglobosa.
2. *Collum* quod oblique a capite ad trochanteres pergit.
3. *Trochanter major* est tuberositas exterior.
4. *Trochanter minor* tuberositas est situ interior & posterior.

Prominentiæ in *extremitate inferiore.*

5. *Condylus* externus, qui minor est.
6. ——— internus, qui interno aliquantum major est.

Cavitates in *extremitate superiore.*

1. *Fovea* in *capite* pro ligamento terete.

Cavitates in *extremitate inferiore.*

2. *Sinus patellæ*, inter condylos, pro excipienda patella.
3. *Excisura* condylorum *postica*, quæ vasa subpoplitea continet.

Connexio cum 3. ossibus. 1. Cum acetabulo ossium *innominatorum* per enarthrosim. 2. Cum capite *tibiæ* & 3. Cum *patella* per ginglymum.

Substantia est in corpore compacta, in extremitatibus spongiosa, in cavo medullari reticularis.

Usus est constituere partem extremitatis inferioris.

TIBIA.

Situs in latere interno cruris inter femur & tarsum.

Figura est longitudinalis.

Divisio in *corpus* & *extremitates*. Unam *superiorem*, alteram *inferiorem*.

Prominentiæ.

1. *Caput tibiæ*, quod duobus sinubus articularibus excavatum est.
2. *Spina tibiæ* cui ligamentum patellæ, & tendo communis musculorum extensorum tibiæ adhæret.
3. *Crista tibiæ* est margo acutus anterior, a spina descendens.
4. *Malleolus internus*, qui processus inferior tibiæ est.

Cavitates.

Duo *sinus articulares* in capite tibiæ, quibus condyli femoris insident.

Cavitas articularis in extremitate inferiore pro astragalo.

Connexio cum 4. ossibus. 1. Cum condylis ossis *femoris* 2. Cum *patella* & 3. Cum *fibula* per synevrosim. 4. Cum *astragalo* per arthrodiam.

Usus constituit crucis fulcrum & inservit flexioni extremitatum inferiorum.

FIBULA.

Situs in extima cruris parte juxta tibiam.

Figura est longitudinalis.

Divisio in *corpus* & *extremitates*, unam *superiorem*, alteram *inferiorem*.

Prominentiæ.

1. *Caput* fibulæ, quod in superiori extremitate est.
2. *Malleolus externus*, qui in extremitate inferiori est.

Connexio cum duobus ossibus. 1. Cum *tibia*. 2. Cum *astragalo*.

Usus est ut constituat tibiæ fulcrum, & crus formare juvet.

PATELLA.

Situs est in sinu intra condylos femoris & supra tibiam.

Figura est cordiformis.

Divisio in *superficiem externam* & *internam*.
in *basim*, *apicem*, & *latera*.

Connexio cum duobus ossibus. 1. Cum sinu condylorum *femoris*. 2. Cum *tibiæ* spina per ligamentum.

Usus est ut firmet articulationem genu, & *tendini* musculorum extensorum tibiæ *communi* sit trochlea.

TARSUS.

Situs est inter crus & metatarsum.

Figura est superius capitata inferius lata.

Compositio ex 7. ossibus, quæ in dupla *serie* locantur.

In *prima serie*, *Astragalus*, qui superius.
Calcaneus, qui inferius est.

In *secunda serie*. *Os naviculare* & juxta illud in latere interno.
Os cubiforme.

Tria ossa *cuneiformia*, quæ juxta se invicem locantur.

Prominentiæ sunt,

1. *Caput astragali*, quod inter malleolos cum extremitate tibiæ cohæret.
2. *Tuberositas* calcanei cui *tendo Achillis* inseritur.

Usus est ut constituat basim pedis, ut serviat motui pedis extremi.

METATARSUS.

Situs est inter tarsum & digitos pedis.

Divisio in *superficiem superiorem & inferiorem.*

Compositio est ex 5. ossibus longitudinalibus, quæ 5. *ossa metatarsi* vocantur.

Usus est constituere *dorsum* & *plantam* pedis.

DIGITI PEDIS.

Compositio. Pollex ex duobus osticulis.

Digitus quilibet ex 3. osticulis, quæ *phalanges* vocantur, constat.

OSSICULA SESAMOIDEA.

Sunt osticula parva pisa referentia.

Situs in junctura sub phalangibus pollicis, manus & pedis.

SYNDESMOLOGIA
SEU
DOCTRINA DE LIGAMENTIS.

DE SYNDESMOLOGIA IN GENERE.

PARTES, quæ in Syndesmologia considerantur, sunt: 1. *Periosteum externum.* 2. *Periosteum internum.* 3. *Medulla ossium.* 4. *Cartilagines.* 5. *Glandulæ articulares.* 6. *Synovia.* 7. *Vasa ossium.* 8. *Nervi ossium.* 9. *Ligamenta ossium.*

PERIOSTEUM EXTERNUM.

Est membrana, quæ externam superficiem omnium ossium, solis coronis dentium exceptis, investit.

Diversa denominatio.

1. *pericranium*, in cranio.
2. *periorbita*, in orbita vocatur.
3. *perichondrium*, quod cartilagines obducit, ac
4. *peridesmium*, quod ligamenta investit.

Substantia. Est membrana fibrosa, arteriis, ac venis repleta.

Cohæsio. Inferior superficies ope vasorum cum ossis poris & *superior superficies* cum membrana cellulosa & musculis cohæret.

Usus est ut ossis substantiam *contineat* & ut vasa nutritia ad ossis substantiam in bono ordine *distribuat.*

PERIOSTEUM INTERNUM.

Eſt membrana, quæ internam ſuperficiem in oſſibus obducit. Eſt perioſteo externo ſimilis.

MEDULLA OSSIUM.

Eſt ſubſtantia pinguedinoſa, quæ in cavis medullaribus oſſium magnorum ac longorum continetur.

Uſus. Oſſium fragilitatem præcavet.

CARTILAGINES.

Sunt ſubſtantiæ albicantes, ac elaſticæ, oſſibus accretæ.

Diviſio in 1. *cartilagines obducentes*, quæ in oſſium extremitatibus capita ac cava articularia obducunt.

2. in *cartilagines interarticulares*, quæ oſſibus non accretæ ſed libere intra articulationes hærent, ut in articulo maxillæ, claviculæ, ac genu.

3. in *cartilagines unientes*, quæ oſſa immobili nexu nectunt, ut oſſa pubis, corpora vertebrarum &c.

Uſus cartilaginum obducentium eſt *articulationes* lubricas reddere. Et cartilaginum unientium, oſſa quædam *nectere*.

SYNOVIA.

Eſt humor muco ſimilis, qui in cavis articulationum continetur. Secernitur a glandulis ſynovialibus.

Uſus. Lubricat oſſium mobilium extrema. Et impedit concretionem articulorum.

GLANDULÆ ARTICULARES.

Sunt parvæ glandulæ, quæ in foveis articulationum ac ligamentorum capſularium locantur.

VASA OSSIUM.

Vaſa, quæ oſſa adeunt ſunt *arterioſa* & *venoſa*. utraque diſtribuuntur in perioſteo externo & interno atque intra lamellas oſſium.

Uſus vaſorum eſt *nutrire* os, ac *ſecernere* medullam oſſium.

NERVI OSSIUM.

Pauci *nervi* intrant per parva foramina ad oſſium medullam; quæ ſenſilis eſt. Oſſis autem ſubſtantia ſenſilis non eſt.

LIGAMENTA.

Sunt membranæ elaſticæ ac robuſtæ, quæ oſſium mobilium extrema connectunt.

Diviſio in ligamenta *capſularia*, quæ ſacci membranoſi adinſtar articulationes ambiunt.
in ligamenta *connectentia*, quæ inſtar funium oſſa mobilia connectunt.

In acetabulo femoris eſt *ligamentum teres*. Et in genu *ligamenta cruciata* ſunt, reliquæ articulationes ligamenta interna non habent.

Uſus ligamentorum. *Capſularia* oſſium mobilium extrema nectunt & ſimul effluxum ſynoviæ impediunt. Ligamenta autem *connectentia* oſſium mobilium extrema connectunt ac firmant.

MYOLOGIA.

SEU

DOCTRINA DE MUSCULIS.

DE MUSCULIS IN GENERE.

Musculus est lacertus fibrosus qui motui inservit.

Divisio musculi est in *caput* seu initium.
in *ventrem*, qui pars media.
in *caudam*, quæ finis musculi est.

Adhæsio. Caput & cauda utplurimum sunt ossibus accreta.

Substantia musculi est duplex.
Carnea in ventre.
tendinea in extremitatibus seu capite & cauda.

Quilibet musculus *multa vasa* & *nervos* habet.

Aponevrosis est tendinis in latam tendineam membranam expansio.

Actio musculi consistit in *contractione* & *relaxatione* fibrarum carnearum.

Usus musculorum. Musculi sunt *organa motus*, quibus membra moventur.

MUSCULI CRANII.

Tria *paria* musculorum cranium tegunt.

Musculi frontales qui *a marginibus superciliaribus* ossis frontis ad capillitium frontis in *aponevrosim cranii* pergunt.

Musculi occipitales ab arcubus superioribus ossis occipitalis sub aponevrosi *cranii* in *eandem* abeunt.

Musculi temporales. Oritur quilibet a regione temporali & definit suo tendine in processum coronoideum maxillæ inferioris. Maxillam inferiorem versus superiorem elevat & os claudit.

Aponevrosis cranii. Incipit a tuberculo occipitali ascendit & tegit totum cranium ad radicem nasi & arcus superciliares usque, lateraliter arcui zygomatico adhæret.

MUSCULI ABDOMINALES.

Abdominis cavum a 5. paribus musculorum in omni dimensione contrahitur.

1. M. *obliquus externus* a crista ilei & osse pubis oritur, & ad 8. costas infimas abit.
2. M. *obliquus internus* a crista ilei & osse pubis ad marginem omnium costarum spuriarum, & ad cartilaginem ensiformem sterni abit.
3. M. *rectus* ab osse pubis juxta lineam albam ad cartilaginem ensiformem & ad ultimas tres costas veras ascendit.
4. M. *Piramidalis* a crista ossis pubis versus umbilicum in lineam albam abit.
5. M. *Transversalis.* Ab apophysibus transversis & spinosis 4. superiorum vertebrarum lumbarium ortus, transversim ad lineam albam abit.

Inferius ad cristam ilei & pubis. *Superius* ad internam superficiem costarum adnectitur.

Usus musculorum abdominalium est.

1. Parietes abdominis constituere.

2. Viſcera abdominalia continere.
3. Cum diaphragmate prelum abdominale conſtituere.
4. Cujus actione *Reſpiratio.*
Digeſtio ciborum.
Expulſio excrementorum.
——— urinæ.
——— partus peragitur.

Partes quas muſculi abdominales *ſpeciatim* formant, ſunt ſequentes.

1. *Linea alba.* Eſt linea tendinea, quæ in medietate abdominis a cartilagine enſiformi ad ſymphiſim oſſium pubis deſcendit. Formatur a concurſu trium parium muſculorum nempe obliquorum externorum, internorum & transverſalium.
2. *Linea ſemilunaris* eſt etiam linea tendinea, quæ ad latera lineæ albæ in muſculis obliquis formatur.
3. *Anulus umbilicalis*, eſt rotunda tendinea apertura in medietate lineæ albæ, quæ in fœtu funiculum umbilicalem transmittit, poſt partum autem concreſcit.
4. *Anuli inguinales.* Sunt duo hiatus oblongi, & tendinei quorum unus in utroque inguine in inferiori margine muſculi obliqui externi formatur. In *viris* per hos hiatus exeunt funiculi ſpermatici, in *feminis* autem ligamenta rotunda uteri.
5. *Ligamenta Pupartii.* Sunt margines tendinei muſculorum obliquorum externorum, quorum

unus in utroque inguine eſt, qui a ſpina ilei anteriori & inferiori ad criſtam oſſis pubis extenditur. Sub his ligamentis tranſeunt vaſa cruralia & nervi crurales.

MUSCULI INTESTINI RECTI.

Orificium ani *dilatari* & *contrahi* poteſt.

Contrahitur a *ſpinctere ani*, qui finem inteſtini recti ambit.

Dilatatur a *levatoribus ani*, qui ab interna ſuperficie oſſium pubis, iſchii & ilei oriuntur & in inteſtinum rectum terminantur.

SPLANCHNOLOGIA

SEU

DOCTRINA DE VISCERIBUS.

DIVISIO CORPORIS HUMANI.

Corpus humanum dividitur in *Caput.*
Truncum &
Extremitates.

Caput dividitur in *faciem* & *partem capillatam.*

Pars capillata capitis dividitur in *verticem.*
— *ſynciput.*
— *occiput* &
— partes duas *laterales.*

Facies dividitur in *frontem.*
— *tempora.*
— *naſum.*

Facies dividitur in — *oculos.*
— *Os.*
— *buccas.*
— *mentum.*
— *aures.*

Truncus corporis dividitur in *collum.*
— *thoracem.*
— *abdomen.*

Collum dividitur in *partem anticam* in qua *Pomum Adami* seu *larnyx* tangitur.
in *partem posticam.*
in *partes laterales.*

Thorax dividitur in *partem anticam* in qua *mammæ* sunt, & fovea in parte infima thoracis, quæ *scrobiculus cordis* vocatur.
in *partem posticam*, quæ *dorsum* dicitur, &
in *partes laterales.*

Abdomen dividitur in *regionem anticam.*
in *regionem posticam*, quam *lumbos* dicunt, &
in *regiones laterales.*

Regio abdominis *antica* subdividitur in tres *Regiones.*

1. in *regionem epigastricam* cujus latera nominantur *hypochondria.*
2. in *regionem umbilicalem* cujus latera dicuntur *regiones lumbares.*
3. in *regionem hypogastricam* cujus latera vocantur *Ilia.*

Pubis est sub abdomine *regio pilosa*, cujus latera *inguina* vocantur.

Sub *pube* ſunt *partes genitales.*

In *viris ſcrotum* & *penis.*

In *mulieribus labia* & *rima vulvæ.*

Spatium quod inter partes genitales & aperturam ani eſt, vocatur *Perinæum.*

Extremitates dividuntur in *ſuperiores* & *inferiores.*

Extremitas ſuperior dividitur.

in *ſumitatem* humeri ſub quo *fovea axillaris eſt.*

in *brachium.*

in *antibrachium.*

in *manum.* Quæ *volam* & *dorſum* habet.

Manus in *carpum.*

metacarpum &

digitos dividitur.

Digiti dividuntur in *pollicem.*

— *indicem.*

— *digitum longum.*

— *digitum anularem.*

— *digitum auricularem.*

Extremitas inferior dividitur.

1. in *femur.*

2. in *crus* quod genu, *cavum ſubpopliteum* & *ſurram* habet.

3. in *pedem extremum* in quo *dorſum* & *Planta pedis.*

Malleolus externus & *internus eſt.*

Pes *extremus* in *tarſum.*

metatarſum.

digitos.

Interna corporis *divisio* est in tria cava principalia.

Cavum *cranii*, quod viscera animalia.

—— *thoracis*, quod viscera vitalia.

—— *abdominis*, quod viscera naturalia continet.

INTEGUMENTA COMMUNIA CORPORIS.

Sub nomine integumentorum communium intelliguntur tres membranæ, quæ externam superficiem totius corporis investiunt.

1. *Epidermis.*
2. *Cutis.*
3. *Membrana adiposa.*

EPIDERMIS.

Est tenuis & pellucida membrana, quæ totam extimam superficiem corporis tegit.

Divisio in *superficiem superiorem*, quæ sicca est.
in *superficiem inferiorem*, quæ *mucosa* est, & *mucus Malpighianus* vocatur.

Connexio epidermidis est cum cute per *mucum Malpighianum.*

Crassities in facie admodum tenuis, in *vola* manus & *planta* pedis admodum crassa est.

Color in muco malpighiano sedet, qui albus in europeis, niger in æthiopibus, *fuscus* in hyspanis est.

Usus. Sensiles pupillas cutaneas tegit, ne aere exsiccentur, & doleant.

CUTIS.

Est membrana crassa, quæ inter epidermidem, & membranam adiposam locatur, & totam superficiem externam corporis tegit.

Divisio in *superficiem exteriorem*, quæ cum epidermide.

in ——— *interiorem*, quæ cum membrana adiposa cohæret.

Substantia. Ex textura *fibrosa*, *vasculosa* & *nervea* constat.

Arteriæ cutaneæ exhalant perpetuo liquidum tenue.

Venæ cutaneæ inhalant seu absorbent illa quæ cuti applicantur.

Nervi cutanei in superficie superiori præcipue in digitorum apicibus *papillas nerveas* formant, quæ organum tactus constituunt.

In inferiori superficie cutis sedent *glandulæ subcutaneæ*, & *bulbi pilorum* e quibus pili excrescunt.

Usus. Cutis est *organum sensationis*.

——— *exhalationis*.

——— *inhalationis*.

UNGUES.

Sunt laminæ corneæ, quæ apicibus digitorum manus & pedis inhærent.

Divisio in *marginem*.

— *radicem*.

— *latera*.

Substantia est cornea, sine vasis & nervis.

Usus. 1. Ad defendendas papillas nerveas a contusione.

2. Ad res minutas colligendas.

PILI.

PILI.

Sunt filamenta ex cute excrescentia, elastica, sicca.

Substantia. Constant 1. *bulbo*, qui sub cute hæret, & qui vesicula vasculosa & nervea est.

2. Ex *trunco*, qui cutem & cuticulam perforat.

MEMBRANA ADIPOSA.

Est membrana ex *cellulis* exiguis membranaceis formata; vocatur etiam *tela cellulosa.*

Situs. Sub cute intra musculos, omnesque partes molles locatur.

Substantia ex tenui membrana, quæ cellulas exiguas, oleo repletas, format. Hæ cellulæ vasculis sunt plenæ, & peculiaribus aperturis inter se communicant.

Usus. Superficiem corporis contegit, & omnes partes molles connectit.

DE CAPITE GENERATIM.

Partes quæ caput constituunt dividuntur.

in *externas* &
in *internas.*

Partes *externæ* sunt,

1. *Integumenta communia* cum *capillis.*
2. *Expansio tendinea.*
3. Tria paria *musculorum* qui cranii ambitum tegunt.
   2. *Musculi frontales.*
   2. —— *temporales.*
   2. —— *occipitales.*

4. *Pericranium.*
5. *Cranium* ipſum, quod ex duabus tabulis & intermedio diploe conſtat.

Partes *internæ* ſunt,

1. Tria *Integumenta cerebri* nempe.
   dura mater.
   membrana arachnoidea.
   pia mater.
2. *Cerebrum.*
3. *Cerebellum.*
4. *Medulla oblongata.*
5. 9. *paria nervorum.*
6. 4. *Arteriæ* 2. *Carotides internæ.*
   2. *Vertebrales.*
7. 22. *ſinus venoſi.*

DURA MATER.

Eſt membrana craſſa, quæ internæ ſuperficiei cranii præcipue circa ſuturas fortiter adhæret.

Proceſſus externi ſunt, 3.

1. *Proceſſus falciformis*, qui a criſta galli oſſis ethmoidei incipit, per medietatem oſſis frontis, ſub ſutura ſagittali, ad medietatem oſſis occipitalis progreditur, & in ſpina cruciata hujus oſſis finitur. Figuram habet falcis, & cerebrum in duo hemiſphæria dividit.
2. *Tentorium cerebelli*, proceſſus membranoſus eſt, qui a medietate oſſis occipitalis ad margines ſuperiores oſſis petroſi, tentorii adinſtar extenſa eſt.

3. *Septum cerebelli*, processus parvus est, qui longitudinaliter inferiori medietati ossis occipitalis adhæret, & cerebellum aliquantum subdividit.

Substantia. Constat ex duplici lamina.

Venæ. *Sinus venosi* vocantur in dura matre. Numero sunt 22. quorum primi tres Chirurgo notabiles.

1. *Sinus longitudinalis superior*, qui supra foramen cæcum ossis frontalis incipit, dein redeundo ad medietatem ossis occipitalis finitur in duos *ramos laterales*, qui vocantur.

2. Duo *sinus laterales*, qui in osse occipitali arcus adinstar a sinu longitudinali ad foramen lacerum pergunt, & ibi in *venas jugulares internas* exeunt.

Usus. Periosteum internum cranii format.

MEMBRANA ARACHNOIDEA.

Est membrana tenuis, telæ araneæ similis, quæ intra duram & piam matrem locatur, & non solum cerebrum, sed etiam cerebellum, medullam oblongatam, & medullam spinalem singulatim circumvestit.

Substantia. Est tenuissimum textum filamentosum, quod sine vasis & nervis est.

Usus hujus membranæ ignoratur.

PIA MATER.

Tenuis est membrana, quæ cerebro, cerebello, medullæ oblongatæ & medullæ spinali firmissime accreta est.

Substantia est fere penitus vasculosa.

Usus hujus membranæ est, ut vasa in cerebrum distribuat, & substantiam cerebri contineat.

CEREBRUM.

Est magnum illud viscus quod in cranii cavo continetur.

Figura est fere ovalis.

Divisio. Superius a processu falciformi in *duo hemisphæria.*

Inferius a basi cranii in *sex lobos* dividitur.

Substantia cerebri dividitur in *corticalem* & *medullarem.*

Substantia corticalis exterior est, mere vasculosa & crisei coloris.

Substantia medullaris interior totum cerebri volumen facit, mere nervea est, albi coloris.

Cava principalia sunt 4. *ventriculi cerebri.*

1. Duo *ventriculi anteriores* seu *laterales.* Sunt duo cava semilunaria, quæ a mediis cerebri lobis ad primos excurrunt, & *septo pellucido* a se invicem separantur. Vapor aqueus & plexus choroideus piæ matris in illis continetur.
2. *Ventriculus tertius* est spatium quod inter thalamos nervorum opticorum relinquitur.
3. *Ventriculus quartus* est spatium quod intra cerebellum & medullam oblongam relinquitur.

Prominentiæ principales cerebri

1. *Corpus callosum* est prominentia oblonga me-

dullaris, quæ diductis anterioribus & mediis cerebri hemiſphæriis conſpicua eſt.

2. *Corpora ſtriata* ſunt duæ protuberantiæ coloris criſei, anterius ſub ſingulo ventriculo antico una locatur.

3. *Thalami nervorum opticorum* ſunt protuberantiæ duæ poſteriores ventriculorum cerebri, albicantes & deſinentes in nervos opticos.

4. *Corpora quadrigemina*, quæ 4. prominentiæ medullares ſunt. Anteriores vocantur *nates* poſteriores autem *teſtes*.

5. *Glandula pinealis* eſt tuberculum cerebrinum natibus cerebri incumbens.

6. *Glandula pituitaria* non eſt prominentia cerebrina, ſed vera glandula, quæ intra duplicaturam duræ matris in cavitate ſellæ turcicæ hæret.

7. 2. *Crura cerebri.* Sunt duæ columnæ medullares, quæ ex baſi cerebri progrediuntur & terminantur in pontem varolii.

Arteriæ cerebrinæ ſunt rami *carotidum internarum* & *vertebralium* arteriarum.

Nervi. Cerebrum nervos non habet, ſed 9. paria emittit.

Venæ ex cortice cerebri redeuntes ſe evacuant in 22. ſinus venoſos duræ matris.

Uſus cerebri eſt ut ex cortice vaſculoſo ſecernatur in tubulos medullæ tenuiſſimum liquidum, quod *liquidum nerveum* vocatur, quod ſenſibus internis & externis atque motui muſculorum inſervit.

CEREBELLUM.

Eſt cerebrum parvum in foſſis occipitalibus inferioribus ſub tentorio locatum.

Figura eſt rotunda.

Diviſio a ſepto cerebelli in *lobum dextrum* & *ſiniſtrum.*

Subſtantia externa corticalis, interna medullaris, ut in cerebro eſt.

Prominentiæ. Crura cerebelli ſunt duæ columnæ ex medulla cerebelli exeuntes, & in pontem varolii terminatæ.

Cavitates ſeu ventriculos cerebellum nullos habet.

Uſus cerebelli idem eſt ac cerebri.

MEDULLA OBLONGATA.

Eſt pars mere medulloſa, quæ proceſſui baſilari oſſis occipitis incumbit, facta ex concurrentibus cruribus cerebri & cerebelli. In ea notantur,

1. *Pons Varolii* eſt corpus convexum in ſuperficie ſuperiori medullæ oblongatæ.
2. *Corpora pyramidalia*, ſunt duæ prominentiæ medullares internæ.
3. *Corpora olivaria*, ſunt tales prominentiæ externæ, quæ omnes quatuor inferiorem medullæ oblongatæ ſuperficiem & finem conſtituunt.

MEDULLA SPINALIS.

Eſt continuatio medullæ oblongatæ, quæ in ſpecum vertebralem ex foramine occipitali magno ad tertiam vertebram lumborum deſcendit.

Figura eſt cylindrica in fine definit in varios nervos, qui *caudam equinam* formant.

Integumenta. Habet vaginam ex dura matre, arachnoidea & pia matre.

Subſtantia eſt extus medullaris, intus corticalis.

Uſus eſt ut emittat paria 30. nervorum, qui *ſpinales* vocantur.

OCULUS.

Partes, quæ oculum conſtituunt, dividuntur in illas, quæ *extra*, & eas, quæ *intra* bulbum oculi locantur.

Partes externæ ſunt,

1. *Supercilia.* Duo arcus piloſi ſupra orbitam locati.
2. *Cilia.* Pili tarſis palpebrarum accreti.
3. *Palpebræ.* Quarum una *ſuperior*, altera *inferior* eſt.

   Margines habent cartilagineos qui *tarſi* vocantur.

   Ad marginem tarſorum glandulæ locantur, quæ *Meibomianæ* dicuntur.

4. *Glandula lachrymalis*, quæ in externo orbitæ cantho in peculiari fovea oſſi frontali inſculpta locatur, ex hac glandula ſex vel plures canales, qui *ductus lachrymales* vocantur, exeunt, & in interna ſuperficie palpebræ ſuperioris aperiuntur.
5. *Caruncula lachrymalis*, quæ in interno tarſorum palpebralium angulo locatur.
6. *Puncta lachrymalia*, ſunt duo orificia calloſa, quæ in apicibus tarſorum in interno palpebrarum angulo hiant. Unum in ſuperiori, alterum in inferiori palpebra eſt.

7. *Canales lachrymales*, ſunt duo canales tenues, qui a punctis lachrymalibus in ſaccum lachrymalem abeunt.

8. *Saccus lachrymalis*, eſt ſaccus membranaceus, qui in interno oculi cantho locatur.

9. *Ductus naſalis*, eſt canalis membranaceus, qui ab inferiori parte ſacci lachrymalis per canalem oſſeum deorſum, ac paulo retrorſum in cavitatem narium abit, & ſub inferiori oſſe ſpongioſo in naribus aperitur.

10. *Membrana conjunctiva*, quæ a colore etiam *albuginea* vocatur, eſt membrana, quæ internam palpebrarum ſuperficiem, & totam anticam ſuperficiem bulbi obducit.

Bulbus oculi conſtat ex octo *membranis*.
duabus *cameris* &
tribus *humoribus*.

Membranæ bulbi ſunt,

4. in *parte poſtica* bulbi.
ſclerotica.
choroidea.
retina.
hyaloidea.

4. in *parte antica* bulbi.
cornea transparens.
iris.
uvea.
capſula lentis cryſtallinæ.

1. *Membrana ſclerotica*, quæ eſt extima, a nervo optico incipit, cavum ſphæricum format, & ad marginem corneæ transparentis definit.

Pars anterior ſcleroticæ pellucida eſt, & *cornea transparens* vocatur.

2. *Membrana choroidea*, eſt media bulbi tunica nigri coloris, a nervo optico incipit, internam ſuperficiem ſcleroticæ ad marginem corneæ transparantis uſque obducit.

Hic loci a cornea ſecedit, & transverſim introrſum deflectitur, & velum liberum, in medio foramine rotundo perforatum format. Hic membranaceus circulus choroideæ in anteriore ſuperficie *Iris*, in poſteriori ſuperficie autem *Uvea* vocatur. Et foramen rotundum in medietate relictum dicitur *Pupilla*. Hoc foramen dilatari & anguſtari poteſt a fibris motricibus non viſibilibus.

3. *Membrana retina*, intima bulbi tunica eſt albicantis coloris & muco ſimilis, a nervo optico, cujus propago medullaris eſt, incipit, intimam ſuperficiem choroideæ usque ad marginem lentis cryſtallinæ obducit, ibique finitur.

Cameræ oculi ſunt,

1. *Camera anterior*, eſt ſpatium cavum, quod *anterius* a cava ſuperficie corneæ transparentis & *poſterius* a ſuperficie iridis & pupillæ formatur.

2. *Camera poſterior*, eſt ſpatium illud parvum, quod anterius a tunica uvea & pupilla: *poſterius* autem a ſuperficie anteriori lentis cryſtallinæ relinquitur. Utraque oculi camera humore aqueo plena eſt.

Humores oculi ſunt,

1. *Humor aqueus* eſt humor, qui utramque oculi cameram implet.
2. *Lens* cryſtallina eſt corpus pellucidum lentem magnitudine referens, quod retro pupillam in peculiari fovea humori vitreo impreſſa & peculiari membranacea, pellucida capſula libere incluſa eſt. Hoc receptaculum vocatur *capſula lentis cryſtallinæ.*
3. *Humor vitreus.* Eſt corpus pellucidum, quod totam bulbi cavitatem, a fundo usque ad uveam fere explet, & ſuſtinet. Extima ejus tota ſuperficies membrana forti, pellucidiſſima tamen inveſtitur, quæ *membrana hyaloidea* vocatur. In anteriori humoris vitrei parte fovea eſt, cui inſidet lens cryſtallina.

Bulbi *connexio antrorſum* fit ope *conjunctivæ* membranæ cum *palpebris*; *poſtrorſum* ope 6. muſculorum bulbi & nervi optici cum *orbita* connectitur.

Nervus opticus in poſtica bulbi parte ſcleroticam & choroideam perforat, & dein tunicam retinam conſtituit.

Uſus oculi. Eſt organum viſus.

AURIS.

Partes molles, quæ aurem conſtituunt, dividuntur in *externas* & *internas.*

Partes molles externæ ſunt,

1. *Auricula.*

2. *Meatus auditorius externus.*
3. *Membrana Tympani.*

Partes molles internæ ſunt,

1. *Perioſteum* auris internæ.
2. *Membrana communis* auris internæ.
3. *Tuba Euſtachiana.*

Glandulæ, quæ cerumen ſecernunt, locantur ſub cute meatus auditorii externi.

Uſus. Auris eſt *organum auditus.*

NASUS.

Prominentia faciei, quæ *Naſus* vocatur, dividitur.

in *radicem.*
— *dorſum.*
— *apicem* &
— *alas* naſi.

Partes molles, quæ oſſa naſi tegunt, ſunt.

1. *Integumenta communia.*
2. *Muſculi*, qui alas narium movent.
3. *Cartilagines*, qui naſum conſtituunt, nempe *Pars antica ſepti* & *alæ* naſi.

Partes molles narium ſeu naſi interni ſunt,

1. *Membrana pituitaria* narium, quæ muco oblinita, totam ſuperficiem internam narium, ſinuumque & oſſa ſpongioſa narium inveſtit.

Uſus naſi eſt pro *odoratu* & *reſpiratione.*

CAVITAS ORIS.

Partes, quæ oris cavum conſtituunt ſunt *externæ* & aliæ *internæ.*

Partes oris *externas* faciunt,

1. *Labia oris*, In his notanda veniunt *frenula*, quæ medietatem internam labii ad gingivas nectunt.

Partes oris internas constituunt,

1. *Palatum* quod crassa cute tectum est, & ad uvulam usque prolongatur.
2. Duo *arcus alveolares*, qui gingivis obducuntur.
3. *Gingivæ*, quæ substantia admodum vasculosa & elastica constant.
4. *Lingua*, quæ oris cavum in *supralinguale* & *infralinguale* dividit.
5. *Buccarum cavum*, quod intra buccas & dentes est.
6. Tria *paria glandularum salivalium*, nempe *Parotides*, *submaxillares* & *sublinguales*.
7. *Ossa*, quæ oris cavum constituunt.

Membrana oris communis, quæ omnes has partes molles investit, nerveo-vasculosa est, & cuti continua.

Usus oris est *masticatio*.
Loquela.

LINGUA.

Est corpus musculosum, in omnem ambitum mobile, in oris cavo situm.

Divisio linguæ est in *basim*.
corpus.
latera &
apicem.

Connexio. Basis ope musculorum ossi hyoidi adhæret. *Superficies inferior*, ope plicæ cutaneæ, quæ *frenulum* vocatur, fundo cavi infralingualis adnectitur.

Substantia linguæ carnea est, quæ crasso integumento investitur.

Arteriæ linguales sunt utrinque rami carotidis externæ, atque in inferiori linguæ superficie *raninæ* vocantur.

Usus. Lingua inservit *loquelæ.*
masticationi.
deglutitioni.
gustui.

COLLUM.

Partes quæ collum constituunt, dividuntur in *externas* & *internas.*

Partes *externæ* sunt,

1. *Integumenta communia.*
2. *Musculi.*
3. 7. *Vertebræ colli.*
4. *Medulla spinalis colli.*
5. 8. *Paria nervorum cervicalium.*
6. 2. *Arteriæ carotides.*
7. 2. *Arteriæ vertebrales.*
8. 2. *Venæ jugulares externæ.*
9. 2. *Venæ jugulares internæ.*
10. *Glandulæ jugulares.*
11. *Glandula thyroidea.*
12. *Nervorum cerebri par octavum & intercostale magnum.*

Partes *internæ* ſunt 1. *Fauces.*
2. *Pharynx.*
3. *Oeſophagus.*
4. *Larynx.*
5. *Trachea.*

FAUCES.

Cavum quod retro linguam & velum palatinum eſt, ſic vocatur.

Pars ſuprema formatur a proceſſu baſilari oſſis occipitis.

Pars antica 1. a *foraminibus poſticis* narium.
2. ab *uvula*, quæ pars glandiformis eſt, ab oſſibus palatinis in fauces pendula.
3. ab *amygdalis*, quæ partes glanduloſæ ſunt & ad latera veli penduli hærent.
4. a *velo pendulo*, quod membrana eſt retro uvulam arcus adinſtar ab oſſibus palatinis dependens.

Pars poſtica faucium a corporibus vertebrarum colli.

Pars infima a larynge & pharynge formatur.

Partes laterales conſtituuntur a proceſſu petroſo oſſis temporis, ex quo *tubæ Euſtachianæ* in fauces hiant, & retro amygdalas aperiuntur.

Usus faucium. Inserviunt *Deglutitioni.*
Respirationi.

PHARYNX.

Est *saccus* musculosus, qui infundibulo similis retro laryngem faucibus adhæret, & in œsophagum terminatur.

OESOPHAGUS.

Est *tubus* musculosus, qui a pharynge ad ventriculum descendit.

Situs est retro tracheam & ante corpora vertebrarum colli aliquantum sinistrorsum, dein in cavo postico mediastini per foramen sinistrum diaphragmatis in cardiam ventriculi abit.

Substantia est ex 4. *membranis* quarum

1. *Communis.*
2. *Muscularis.*
3. *Nervea.*
4. *Villosa est.*

Usus est pro *deglutitione.*

LARYNX.

Est *capsa cartilaginea*, quæ retro linguam in parte antica faucium locatur.

Constat ex 5. *cartilaginibus.*
Variis musculis &
Interna membrana nervea.

Cartilagines sunt,

1. *Cartilago annularis* seu *crycoidea*, quæ partem inferiorem constituit, & cui reliquæ insident.

2. *Cartilago thyroidea* ſeu *ſcutiformis*, quæ latiſſima eſt, annulari inſidet, & partem anticam laryngis format.

3. *Epiglottis*, quæ potius membrana cartilaginea elaſtica eſt, ſupremæ parti cartilaginis ſcutiformis adhæret, & retroprimi poteſt.

4. Duæ *cartilagines arytænoideæ*, quæ margini poſtico & laterali cartilaginis annularis inſident, & antrorſum flectuntur. Sic *rimam* intra ſe relinquunt, quæ *rima laryngis* vocatur ſeu *glottis*.

Uſus larynx eſt organum vocis, & ſimul reſpirationi inſervit.

TRACHEA.

Eſt *tubus* ex annulis cartilagineo-carneis conſtans, quæ ante œſophagum a larynge in thoracem deſcendit, & ibi in duos ramos, quos *bronchia* vocant, dividitur.

Bronchia pulmonum ſubſtantiam ingreſſa, in innumeros ramulos dividuntur, qui in *veſiculas pulmonales* ultimis finibus terminantur.

Annuli cartilaginei cum tracheæ tum bronchiorum non ſunt integre cartilaginei, ſed in parte poſtica carnei fiunt.

Interna ſuperficies laryngis, tracheæ, bronchiorum, & veſicularum pulmonalium *membrana* nervea, glandulis muciparis plena, inveſtitur.

Anterior tracheæ ſuperficies tegitur muſculis *ſternohyoideis* & *ſternotyroideis*.

Uſus eſt ad *reſpirationem* & *loquelam*.

THORAX.

THORAX.

Cavum quod intra collum & abdomen locatur, thorax vel pectus vocatur.

Figura hujus cavitatis caveæ aviculari ſimilis eſt, *inferius* latius & a diaphragmate convexo terminatur, *ſuperior pars* anguſtior & obtuſa eſt.

Cavum thoracis in 5. *cavitates* a mediaſtino dividitur.
- in cavitatem *thoracis dextram* & *ſiniſtram.*
- in cavitatem *pericardii.*
- in ſpatium *mediaſtinum anticum.*
- in ſpatium *mediaſtini poſticum.*

Partes, quæ thoracem conſtituunt, dividuntur.
- in *externas* &
- in *internas.*

Partes *externæ* ſunt,

1. *Integumenta communia.*
2. *Mammæ.*
3. *Muſculi.*
   - 2. *pectorales majores.*
   - 2. ——— *minores.*
   - 22. *intercoſtales externi.*
   - 22. ——— *interni.*
4. *Oſſa.*
   - 24. *Coſtæ.*
   - 12. *Vertebræ dorſi.*
   - 1. *Sternum.*
5. *Pleura.*

Partes *internæ* ſeu *contentæ* ſunt.

1. In utraque *cavitate thoracis* ſunt *pulmones.*

2. In *cavo pericardii* est cor cum *auriculis*, *sinubus* & initio magnorum vasorum.

3. In *antico spatio mediastini*, est *glandula thymus* & *tela cellulosa*.

4. In *postico spatio mediastini* est.

1. *Oesophagus.*
2. *Ductus thoracicus.*
3. *Arcus aortæ.*
4. *Rami venæ cavæ.*
5. *Vena azygos.*
6. *Octavum par nervorum.*
7. *Par nervi intercostalis magni.*

Inferior fundus thoracis a *diaphragmate* formatur, quod cavum thoracis a cavo abdominis discernit.

MAMMÆ.

Sunt duo hemisphæria mollia, quæ laterali thoracis regioni adhærent, & in sexu præsertim fæmineo magis conspicuæ sunt.

In medietate *papilla* & circa eam orbiculus coloratus, qui *discus* papillæ vocatur, eminet.

Substantiam mammæ constituunt.

1. *Integumenta communia.*
2. *Substantia adiposa*, quæ ejus mollitiem & magnitudinem.
3. *Glandulæ lacteæ*, quæ ejus *nucleum* constituunt, & in unam massam collectæ sunt.
4. *Vasa lactea*, quæ etiam vasa *galactophora* vocantur, hæc ex glandulis lacteis oriuntur, &

abeunt in papillam, in qua 10 tubulis extrorsum aperiuntur.

Usus est lactatio neonatorum.

PLEURA.

Est *membrana* internam superficiem thoracis investiens, & ibi duos quasi saccos formans.

Dividitur in *superficiem internam*, quæ polita & semper humida est.

in ——— *externam*, quæ cellulosa est.

Processum format magnum qui *mediastinum* dicitur. Quod thoracis cavum in duas cavitates discernit. Nascitur a corporibus vertebrarum dorsi, antrorsum per medietatem thoracis prolongatur, ac internæ sterni superficiei aliquantum sinistrorsum adhæret.

In hac duplicatura mediastini antrorsum sub sterno, & postrorsum circa corpora vertebrarum dorsi *spatium triangulare* relinquitur, quod vocant spatium triangulare *anticum* & *posticum*.

Partes quæ in his spatiis locantur, dictæ sunt.

Connexio pleuræ est cum costis, musculis intercostalibus, sterno & corporibus vertebrarum dorsi, inferius cum pericardio & diaphragmate.

Usus est ut thoracis superficiem politam reddat.

thoracem dividat.

pulmonibus & pericardio extimam det membranam.

DIAPHRAGMA.

Est *sepimentum*, quod thoracis cavum a cavo abdominis discernit.

Situs eſt obliquus, ab apice ſterni retrorſum & deorſum ad corpora vertebrarum lumbarium uſque.

Diviſio 1. in *ſuperficiem ſuperiorem*, quæ convexa in *ſuperficiem inferiorem*, quæ concava eſt.

2. in *Centrum*, quod tendineum & in *Ambitum*, qui carneus eſt.

Adhæſio. *Antrorſum* proceſſui enſiformi ſterni, ultimis duabus coſtis veris, & margini cartilagineo omnium coſtarum ſpuriarum adhæret.

Poſtrorſum duo *crura carnea* format, quæ corporibus vertebrarum lumbarium adhærent.

Subſtantia eſt in centro tendinea, in ambitu carnea. *Superficies ſuperior* pleura, *ſuperficies inferior* peritoneo tecta eſt.

Tres aperturæ.

1. *Foramen dextrum*, quod in latere dextro & tendineum eſt. Transmittit venam cavam aſcendentem, quæ ex abdomine in thoracem aſſurgit.
2. *Foramen ſiniſtrum*, quod in ſiniſtro latere diaphragmatis eſt, transmittit œſophagum ex thorace in abdomen.
3. *Hiatus poſticus* diaphragmatis, qui inter crura poſtica formatur. Ille hiatus transmittit arteriam aortam, venam azygos, & ductum thoracicum.

Uſus. Diaphragma inſervit. 1. *reſpirationi*.
2. *ſitui cordis*.
3. *expulſioni* excrementorum & partus.

PULMONES.

Sunt duo viſcera in cavitatibus thoracis locati, quibus reſpiramus.

Divisio in *dextrum* & *sinistrum* pulmonem.
Dexter in 3.
Sinister in 2. dividitur *lobos*.

Connexio pulmonis cum collo ope *tracheæ*
Cum corde ope *vasorum pulmonalium* est.

Substantia pulmonis est triplex.
1. *Vesicularis*, quæ cellulis formatur.
2. *Vasculosa*, quæ retis adinstar cellulas investit.
3. *Bronchialis*, quæ minimis tubulis in cellulas hiat.

Membrana extima, a pleura est, & externam superficiem pulmonum arcte circumvestit.

Membrana interna pulmonum, quæ superficiem aeream bronchiorum & vesicularium pulmonalium investit, nervea est, atque membranæ internæ tracheæ continua.

Vasa pulmonum dividuntur in *communia* & *propria* seu *pulmonalia* & *bronchialia*.
Communia sunt *arteria* & *vena pulmonalis*.
Propria sunt *arteria* & *vena bronchialis*.

Usus pulmonum est *respiratio*.
sanguificatio.
vox.

C O R.

Est *viscus* musculosum in cavo pericardii locatum, quod sanguinis motui inservit.

Divisio cordis *externa* est
1. in *basim* & *apicem*.

2. — *ſuperficiem ſuperiorem* &
— ——— *inferiorem.*
3. — *marginem anteriorem.*
— ——— *poſteriorem.*

Diviſio cordis *interna* eſt in *dextrum* & *ſiniſtrum ventriculum.*

Situs cordis obliquus eſt non transverſalis. *Baſis* verſus corpora vertebrarum dextrorſum & *apex* verſus ſextam coſtam ſiniſtrorſum oblique locatur adeo, ut *ſiniſter* ventriculus fere poſterior, *dexter* autem anterior ſit. *Superficies inferior* diaphragmati incumbit.

Cava, quæ cordis baſi adhærent, ſunt

Auricula dextra, quæ ſaccus eſt muſcularis, qui ſuo orificio in ventriculum dextrum.

Auricula ſiniſtra, ſimilis ſaccus eſt, qui ſuo orificio in ventriculum ſiniſtrum hiat.

Sinus venoſus dexter, qui a vena cava formatur, & in auriculam dextram aperitur.

Sinus venoſus ſiniſter, qui a venis pulmonalibus formatur, & in ſiniſtram auriculam hiat.

Ipſa *cordis* cava *ventriculi* vocantur, hi a ſepimento carneo, quod *ſeptum cordis* dicitur, in *dextrum* & *ſiniſtrum* diſcernuntur.

Quilibet ventriculus in ſua baſi duo *orificia* habet, unum *auriculare*, per quod ſanguis intrat, alterum *arterioſum* per quod iterum exit.

Quatuor hæc orificia *valvulas* habent, quæ in orificiis arterioſis *ſemilunares*, in orificio auriculari dex-

tro *mitrales*, in orificio auriculari ſiniſtro *tricuſpidales* vocantur.

Subſtantia cordis *muſculoſa* eſt.

Pericardium eſt peculiaris ſaccus membranaceus, qui eor cum auriculis, & ſinubus includit.

Pericardium *ſuperius* mediaſtino, *inferius* diaphragmati accreſcit.

Vaſa cordis dividuntur in *communia* & *propria*.

Communia ſunt *Aorta*, quæ e ventriculo ſiniſtro

Arteria pulmonalis, quæ e ventriculo dextro oritur.

Venæ pulmonales, quæ in ſinum venoſum ſiniſtrum &

Vena cava, quæ in ſinum venoſum dextrum ſe evacuat.

Propria cordis vaſa ſunt *arteriæ coronariæ* cordis, quæ ab aorta in cor abeunt.

Venæ coronariæ, quæ a corde redeuntes in auriculam dextram ſe evacuant.

Nervi cordis rami ſunt ab *octavo* & a pare *intercoſtali magno*.

Uſus cordis. Eſt primarium motus ſanguinis organum.

DE ABDOMINE.

Eſt *cavitas* quæ thoracem inter & pelvim locatur.

Diviſio eſt in tres cavitates.

in *cavitatem peritonei*.
in *cavitatem lumbalem*.
in *cavitatem pelvis*.

Partes, quæ abdomen conſtituunt, dividuntur in *externas* & *internas*.

Partes externæ ſunt.

1. *Integumenta communia.*
2. 5. *Paria muſculorum abdominalium* ut
   Duo obliqui externi
   — — — *interni.*
   — *recti.*
   — *transverſales.*
   — *pyramidales.*
3. *Oſſa abdominis.*
   5. *Vertebræ lumborum.*
   4, *Oſſa pelvis.*
4. *Peritoneum.*

Partes *internæ* ſeu *contentæ* ſunt.

In *cavitate Peritonei.*

1. *Omentum.*
2. *Ventriculus.*
3. *Inteſtina tenuia & craſſa.*
4. *Hepar* cum *veſicula fellis.*
5. *Meſenterium.*
6. *Lien.*
7. *Pancreas.*
8. *Vaſa lactea*, quæ inter duplicaturam meſenterii locantur.

In *cavitate lumborum* extra peritoneum continentur.

1. *Renes.*
2. *Glandulæ ſuprarenales.*
3. *Uretheres.*
4. *Receptaculum chyli.*
5. *Aorta deſcendens.*
6. *Vena cava aſcendens.*

In *cavitate pelvis* extra peritoneum ſunt.

In *Viris*. *Veſica urinaria.*
Inteſtinum rectum.
Veſiculæ ſeminales.

In *fœminis* præter veſicam & inteſtinum rectum.
Uterus.
4. *Ligamenta uteri.*
2. *Tubæ Fallopianæ.*
2. *Ovaria* &
Vagina.

PERITONEUM.

Eſt *membrana*, quæ internam ſuperficiem abdominis inveſtit, & magni ſacci figuram refert.

Diviſio in *ſuperficiem internam* & *externam.*

Subſtantia. Simplex eſt membrana, cui exterius *textum celluloſum* adhæret.

Uſus eſt, ut viſcera abdominalia in ſuo ſitu contineat, & ut eorum ligamenta, & membranam extimam conſtituat.

OMENTUM.

Membrana eſt adipoſa, quæ anteriori inteſtinorum ſuperficiei incumbit.

Diviſio eſt in omentum *magnum* & *parvum.*

Omentum magnum ab arcu magno ventriculi ad regionem hypogaſtricam usque ſuper inteſtina propendet.

Omentum parvum a minoris ventriculi arcu ad hepar extenditur.

Usus omenti est ut intestina *lubricet.*
calefaciat.
a concretione præservet.
pro bile oleum in venam portæ mittat.

VENTRICULUS.

Est *receptaculum* membranaceum quod ingesta ab œsophago excipit.

Situs est in regione epygastrica & quidquam in hypochondrio sinistro.

Divisio. Vacuus ventriculus deorsum pendet, & dividitur.

in *Superficiem anteriorem* & *posteriorem.*
— *Curvaturam majorem* seu *inferiorem.*
— *Curvaturam minorem* seu *superiorem.*
— *Cardiam* seu introitum ex œsophago.
— *Pylorum* seu exitum ventriculi in duodenum.
— *Fundum* qui dilatatio ventriculi versus lienem est.

Connexio. Ventriculus cum œsophago, duodeno, omento majori & minori, atque pancreate connexus est.

Substantia. Constat *quatuor* membranis tenui tela cellulosa nexis.

Extima est *communis* a peritoneo.
Secunda est *muscularis.*
Tertia est *nervea* vasis & nervis constans.
Intima *villosa* est, holoserici adinstar tenuibus villis hirta.

Usus est ut ingesta ab œsophago *excipiat.*
aliquantum retineat.
ea *digerat* &
demum *expellat* in duodenum.

INTESTINA.

Sic vocatur *tubus* membranaceus, qui in cavo abdominis varie a pyloro ad anum usque flexus est.

Divisio intestinorum est in *tenuia* & *crassa.*

Tenuia sunt 3.
Duodenum.
Jejunum.
Ileum.

Crassa sunt etiam 3.
Cæcum.
Colon.
Rectum.

Duodenum 12. digitos transversos circiter longum est, 3. facit flexuras, retro ventriculum in *regione epygastrica* locatur, & inter primam & secundam flexuram a communi ductu canalis pancreatici & choledochi perforatur.

Jejunum est 15. palmas longum, locatur in *regione umbilicali.*

Ileum est etiam circiter 15. palmas longum, locatur in *regione iliaca sinistra* atque *regione hypogastrica* & finitur ad *valvulam Tulpii.*

Cæcum est saccus 4. digitos transversos longum, locatur in *regione iliaca dextra*, & ei extus adhæret *processus vermiformis.*

Colon. Incipit ab inteſtino cæco in regione iliaca dextra, aſſurgit recta ad hepar, ibi tranſverſim ſub ventriculo flectitur ad lienem, ab eo deſcendit in regionem iliacam ſiniſtram, & demum ad pelvim *flexu ſigmoideo* finitur in inteſtinum rectum.

Ex his ergo patet colon dividi poſſe in partem *aſcendentem*, in partem *tranſverſam* & partem *deſcendentem.*

Rectum eſt palmam & mediam longum, ab ultima vertebra, ad ſacrum & coccygis os deſcendit, & finitur in *anum.* Anus muſculo orbiculari, qui *ſpincter ani* vocatur clauditur.

Subſtantia inteſtinorum ex *quatuor* membranis ut ventriculus, conſtat.

Connexio. Inteſtina generatim ope *meſenterii* in ſitu ſervantur.

Uſus inteſtinorum eſt chymum e ventriculo *recipere.*
Succo enterico, pancreatico, & bile *miſcere.*
Chylum in vaſa lactea *propellere* &
Fœces per inteſtinum rectum *eliminare.*

MESENTERIUM.

Eſt *duplicatura membranacea*, quæ inteſtina ambit.

Duodenum & inteſtinum rectum autem non comprehendit.

Diviſio meſenterii eſt in *tenue* & *craſſum* ſeu *meſenterium* & *meſocolon*, prius tenuia, alterum craſſa continet inteſtina.

Connexio eſt cum tribus ſuperioribus corporibus vertebrarum lumbarium.

Subſtantia. Eſt continuatio peritonei, quæ duplicaturam format, intra quam inteſtina, vaſa ſangui-

nea, lactea, nervi, glandulæ mesaraicæ & tela cellulosa continentur.

Usus mesenterii est, ut intestina, vasa, glandulas, & nervos in ordine ac situ firmet.

HEPAR.

Est viscus abdominale maximum, quod bilis secretioni inservit, atque in hypochondrio dextro, & aliquantum in regione epygastrica locatur.

Divisio in tres lobos.

in *magnum*, *parvum*, & *Spigelianum*.

in *superficiem superiorem*, quæ convexa.

in ——— *inferiorem*, quæ concava est.

Demum.

in *marginem anteriorem* & *posteriorem*.

Connexio hepatis cum diaphragmate ope *ligamentorum*.

Membrana extima hepatis, quæ totam substantiam investit, a peritoneo est.

Substantia vasculosa est.

Acini biliosi, sunt glandulæ in substantia hepatis dispersæ, quæ bilem secernunt.

Ductus hepaticus, oritur tenuissimis ramulis ab acinis biliosis hepatis, dein magnum ductum constituit, qui versus intestinum duodenum abit, & se cum ductu cystico in communem canalem unit.

Usus hepatis est, ut bilem *secernat*.

VESICULA FELLEA.

Vesicula oblonga membranacea sub hepate in hypochondrio dextro sita.

Divisio in *fundum.*

corpus.

collum, quod continuatur in

Ductum cisticum, qui paulo post cum *ductu hepatico* se unit, & dein vocatur

Ductus communis cui inseritur demum *ductus pancreaticus*, qui dein communi orificio intestino duodeno intra primam & secundam ejus flexuram inseruntur.

Substantia constat ex tribus membranis.

Usus vesiculæ est, ut bilem ex ductu hepatico regurgitantem retineat, ut sic mora spissior, amara, & acrior fiat.

LIEN.

Est *viscus* quod in hypochondrio sinistro juxta ventriculi fundum costis tectum, locatur.

Figura ovalis est.

Divisio in *superficiem externam*, quæ convexa, & *internam*, quæ concava est.

in *extremitatem superiorem* & *inferiorem.*

Connexio cum diaphragmate ope *ligamenti suspensorii.*

Substantia mere vasculosa est.

Membrana extima a peritoneo propago est.

Usus. Inservit *attenuationi* sanguinis.

PANCREAS.

Corpus *glandulosum* est, quod in regione epygastrica sub ventriculo locatur.

Figura similis est linguæ caninæ.

Divisio est in *superficiem superiorem* & *inferiorem*. in *extremitatem dextram*, quæ lata, & *sinistram*, quæ acuminata est. Demum in *marginem anteriorem* & *posteriorem*.

Pancreas parvum, Processus pancreatis est, qui duodeno accrescit.

Substantia est ex innumeris glandulis facta.

Ductus pancreaticus minimis ramulis a glandulis pancreatis oritur, dein magnum canalem constituit, qui totam medietatem pancreatis decurrit, & demum intestinum duodenum, ductui choledocho junctus, perforat.

Connexio pancreatis est cum ventriculo & liene ope *membranarum*. Cum duodeno mediante *pancreate parvo* & *ductu pancreatico*.

Usus est ut humorem salivæ similem *secernat* & in duodenum *deferat*.

VIÆ LACTEÆ.

Viæ quæ chylum ab intestinis in sanguinem vehunt, sunt.

Vasa lactea.
Receptaculum chyli.
Ductus thoracicus.

Vasa lactea sunt parvæ venæ, quæ chylum vehunt. Oriuntur ex intestinis tenuibus præsertim ex jejuno & ileo, paucissimæ ex intestinis crassis.

Dividuntur in vasa lactea primi & secundi ordinis.

Vasa lactea *primi ordinis*, ab intestinis orta intra duplicaturam mesenterii ad glandulas mesaraicas abeunt.

Vasa lactea *secundi ordinis* a glandulis mesaraicis orta, intra duplicaturam mesenterii ad receptaculum chyli abeunt.

Receptaculum chyli, est saccus angustus, qui diaphragmati ad duo superiora corpora vertebrarum lumbarium incumbit.

Ductus thoracicus. Est canalis qui a receptaculo chyli, per posticum hiatum diaphragmatis, in postico spatio mediastini thoracis juxta corpora vertebrarum dorsi ad venam subclaviam sinistram usque ascendit, & in eam se exonerat.

Ductus thoracicus in hoc itinere etiam in se recipit *vasa lymphatica* fere totius corporis.

Usus. Hæ viæ lacteæ chylum ex intestinis in sanguinem *vehunt*.

RENES.

Sunt duo *viscera*, quæ urinam secernunt.

Situs est retro peritonei saccum in lumbis circa corpora superiorum vertebrarum lumbarium.

Figura est phaseolo similis.

Divisio est in *superficiem anteriorem & posteriorem.*
in *extremitatem superiorem & inferiorem.*
in *marginem externum*, qui convexus,
in *internum* qui concavus est.

Substantia renum triplex est.
Corticalis seu vasculosa, quæ extima est.
Tubulosa, quæ media est, tubulis constat.
Papillosa, quæ intima est.

Integu-

Integumenta renis ſunt.

1. *Membrana adipoſa*, quæ craſſa eſt, & laxe renem involvit.
2. *Membrana propria*, quæ ipſam renis ſubſtantiam inveſtit.

Uretheres ſunt canales *membranacei*, quorum in utroque rene unus eſt, qui a rene in veſicam urinariam deſcendit. Initium uretheris amplius eſt, & *pelvis renalis* vocatur.

Glandulæ ſuprarenales, ſunt duæ magnæ glandulæ, quæ ſupra renes adhuc intra membranam adipoſam renum locantur.

Uſus renum. Renes urinam *ſecernunt*, & uretheres illam a renibus in veſicam urinariam *deferunt*.

VESICA URINARIA.

Eſt *ſaccus membranaceus* ſub peritonei ſacco in cavitate pelvis locatus.

Situs eſt in *viris* intra oſſa pubis & inteſtinum rectum
in *mulieribus* intra oſſa pubis & uterum.

Figura eſt magnæ lagenæ pyriformi ſimilis; hinc

Diviſio in *fundum ſuperiorem.*
in *corpus* quod eſt pars media.
in *collum* quod ex fundo inferiori emergit, & *ſpinctere muſculoſo* circumdatur.

Subſtantia conſtat ex 4. membranis, ut inteſtina.

Uſus veſicæ eſt, ut urinam *recipiat.*
retineat.
expellat.

PARTES GENITALES VIRORUM.

Partes virorum genitales conſtituunt.

Penis.
Teſticuli.
Veſiculæ ſeminales.

PENIS.

Etiam *membrum* virile vocatur.

Diviſio eſt in *radicem.*
corpus &
caput, quod *glans* vocatur.

Glans habet baſim latam, quæ *corona* dicitur, & *apicem* qui orificio *urethræ* perforatus eſt.

Mons veneris eſt monticulus pinguedinoſus, cute admodum piloſa tectus, qui ſynchondroſim oſſium pubis tegit.

Subſtantiam membri virilis conſtituunt.

Integumenta communia.
Duo *corpora cavernoſa penis.*
Corpus cavernoſum urethræ & demum
Urethra ipſa.

Prolongatio cutis, quæ glandem tegit, *præputium* vocatur, quod in parte inferiori ope plicæ membranaceæ, quæ *frenulum* vocatur, glandi adhæret.

Duo *corpora cavernoſa* penis ex ſubſtantia ſpongioſa conſtant, ab arcubus oſſis iſchii utrinque incipiunt, dein in membro virili ſupra urethram ſibi invicem incumbunt, & obtuſis apicibus ſub corona glandis finiuntur.

Subſtantia cavernoſa urethræ ante collum veſicæ craſſo principio quod *bulbus urethræ* vocatur, ab ambitu urethræ incipit; dein ambit totam urethræ longitudinem ad apices duorum corporum cavernoſorum penis usque, ſupra hos demum *glandem* format, in qua finitur.

Urethra canalis membranaceus eſt, oritur a collo veſicæ urinariæ; deſcendit infra corpora cavernoſa penis, & ſub illis in apicem glandis pergit, atque in ea fiſſura longitudinali aperitur.

Verumontanum prominentia cutanea eſt, quæ in cavo urethræ ante collum veſicæ locatur.

Glandulæ penis ſunt.

1. *Glandulæ muciparæ* urethræ, quæ ſub tunica interna locantur.
2. *Glandulæ odoriferæ*, quæ circa & in corona glandis hærent.
3. *Glandula proſtrata*, quæ ſolitaria eſt, circumdat inferius collum veſicæ.

Uſus penis eſt ad *effuſionem ſeminis* & urinæ.

TESTICULI.

Sunt duo corpora ovalia, quæ in cavo ſcroti continentur.

Epididymis ſeu *teſticulus acceſſorius*, eſt appendix teſticulo incumbens, in quo *caput* ſeu extremitas anterior & *cauda* ſeu extremitas poſterior notari debet.

Integumenta teſticuli ſunt.

1. *Scrotum*, cavum membranaceum, *ſepto* intermedio membranaceo in duas cavitates divi-

ſum ; conſtat *epidermide*, *cute* & *membrana fibroſa*, quæ *Darton* vocatur.

2. *Tunica vaginalis*, quæ membrana celluloſa eſt, ab anulo inguinali incipit, atque funiculum ſpermaticum & teſticulum inveſtit.

3. *Tunica albuginea* teſticuli eſt albi coloris, & cum ipſa teſticuli ſubſtantia concreſcit.

Subſtantia teſticuli & epididymis. Ex tenuiſſimis albicantibus canalibus conſtant.

Omnes demum canaliculi epididymidis in unum magnum confluunt canalem, qui *vas deferens* vocatur.

Vas deferens oritur ex cauda epididymidis, per funiculum ſpermaticum & per anulum inguinalem aſcendit & in pelvis cavo in veſiculas ſeminales terminatur.

Funiculus ſpermaticus ergo conſtat ex *vaſe deferente*, *arteria*, & *vena ſpermatica*, *nervis ſpermaticis*, *vaſis lymphaticis* & *tunica vaginali*, quam *muſculus cremaſter* ambit.

Uſus teſticulorum eſt ſeminis *ſecretio* & *præparatio*.

VESICULÆ SEMINALES.

Sunt duo receptacula membranacea, quæ ſemen a vaſis deferentibus recipiunt, & continent.

Situs eorum obliquus eſt, intra inteſtinum rectum, & ſupra collum veſicæ.

Ductus ejaculatorius ex qualibet veſicula in urethræ cavum abit, & ibi in ſumitate verumontani peculiari orificio hiat.

Usus est, ut semen *retineant* & *excernant* in urethram.

PARTES GENITALES MULIERUM.

Partes quæ in mulieribus generationi inserviunt, dividuntur in *externas* & *internas*.

Externæ sunt. *Mons veneris.*
Labia majora.
Labia minora.
Clitoris.
Hymen.

Internæ sunt. *Vagina.*
Uterus.
Tubæ Fallopianæ.
Ovaria.
Ligamenta uteri lata.
——— ——— *rotunda.*
Urethra.

Mons veneris est monticulus pinguedinosus, cute pilosa tectus, qui synchondrosi ossium pubis incumbit.

Labia majora, sunt duo monticuli pinguedinosi, qui sub monte veneris incipiunt, labia minora tegunt, & juxta latera orificii vaginæ ad perinæum abeunt, & ibi ope plicæ cutaneæ transversalis, quam *frenulum labiorum* vocant, sibi invicem uniuntur.

Labia minora, quæ etiam *nymphæ* vocantur. Sunt duæ plicæ cutaneæ, cristis gallinaceis similes, quæ ad latera orificii vaginæ locantur.

Clitoris eſt particula glandiformis, quæ ſub anteriori labiorum majorum commiſſura hæret.

Hymen eſt membrana utplurimum ſemilunaris, quæ orificio vaginæ in virginibus integerrimis adhæret.

Vagina uterina eſt tubus membranaceus, qui intra labia minora incipit, dein in cavo pelvis intra oſſa pubis & inteſtinum rectum ad collum uteri aſcendit.

Conſtat vagina *tribus membranis.*

Extima *cellularis* a peritonei tela celluloſa eſt.

Media *muſcularis*, quæ fibris carneis conſtat.

Intima rugoſa vocatur. *Rugæ* hæ *transverſales* ſunt.

Urethra canalis eſt membranaceus, amplior quam urethra virilis, & recta deſcendens a collo veſicæ urinariæ intra oſſa pubis, & vaginam, atque *orificio* ſuo ſub clitoride intra principia nymphârum aperitur.

Uterus. Eſt *receptaculum* illud ſpongioſum, quod in cavo pelvis ſuper vagina intra veſicam urinariam & inteſtinum rectum locatur.

Figura ejus pyro compreſſo ſimilis eſt, hinc ejus

Diviſio in *fundum*, qui pars ſuprema latiſſima eſt.

corpus quod pars media

collum quod pars infima in acumen anguſtata eſt, & in

Orificium uterinum, quod rima transverſalis in collo uteri eſt, quæ in vaginam prominet.

Cavitas uteri in virgine parva eſt, vix amygdalam excorticatam capit, tribus inſtructa eſt *aperturis*. Duæ ſunt ad latera uteri, *orificia interna* tubarum fallopianarum vocantur. Tertia apertura eſt inferior, nempe ipſum *orificium uterinum*.

Ligamenta uteri lata a duplicatura peritonei, quæ utero externam membranam dat, originem habent. A lateribus uteri ad oſſa Ilia protenduntur. Suſtinent uterum, tubas & ovaria.

Ligamenta uteri rotunda oriuntur a lateribus uteri ſub fundo, tendunt in anulos inguinales, & ibi in pinguedinem deſinunt.

Tubæ Fallopianæ ſunt duo canales membranacei, qui a fundo uteri lateraliter oriuntur, atque in ſuperiori margine ligamenti lati verſus ovaria abeunt.

Ovaria ſunt duo corpora plana, quæ in cavo pelvis ad latera uteri locantur.

Subſtantia eorum exterior *fibroſa* eſt, interna autem *veſicularis* ſaltem in virginibus. Hæ veſiculæ *ovula muliebria* vocantur, & in vetulis evaneſcunt.

Glandulæ genitalium ſunt.

1. *Glandulæ mucoſæ vaginales*, quæ ſub rugoſa vaginæ tunica locantur.
2. *Glandulæ odoriferæ* labiorum & clitoridis.
3. *Glandulæ muciparæ urethræ*, quæ ſub interna ejus membrana inveniuntur.

Usus genitalium est ad *coitum.*
conceptionem.
fœtus nutritionem.
partum.
menstruationem.

PARTES UTERI GRAVIDI.

Partes quæ in utero gravido continentur, sunt,

1. *Placenta uterina.*
2. *Funiculus umbilicalis.*
3. *Ovum fœtus.*
4. *Liquor amnii.*
5. *Fœtus.*

PLACENTA UTERINA.

Est massa spongiosa placentæ similis, quæ utplurimum fundo uteri gravidi adhæret.

Divisio in *marginem* & *medietatem* cui funiculus umbilicalis in inferiori superficie inseritur.
in *superficiem superiorem*, quæ inæqualis.
in ——— *inferiorem*, quæ polita est.

Substantia est cellulosa spongiæ similis, vasculis plenissima.

Usus. Sanguinem ab utero recipit, pro fœtu præparat, & ramis venæ umbilicalis tradit.

FUNICULUS UMBILICALIS.

Est funiculus intestiniformis, qui ab umbilico fœtus ad medietatem placentæ pergit.

Longitudo est frequenter trium spitamarum.

Substantia constat ex 4. partibus.

1. Ex *vagina cutanea.*
2. Ex *substantia cellulosa*, quæ vaginam umbilicalem implet.
3. Ex *vena umbilicali*, quæ ex substantia placentæ oritur, dein per funiculum umbilicalem, & anulum umbilicalem fœtus ad hæpar pergit, & ibi in venam portæ se evacuat.
4. Ex duabus *arteriis umbilicalibus*, quæ in fœtu ab arteriis hypogastricis ortæ juxta vesicæ urinariæ latera ad anulum umbilicalem ascendunt, dein per funiculum umbilicalem pergunt & innumeris ramulis in substantiam placentæ desinunt.

Usus funiculi. Vena *umbilicalis* fœtui sanguinem ex placenta adducit, & duæ arteriæ *umbilicales* sanguinem ex fœtu in placentam reducunt.

OVUM MEMBRANACEUM FOETUS.

Fœtus in uteri cavitate magno *ovo membranaceo* inclusus est.

Hoc ovum ex *tribus membranis* constat.

Extima est *filamentosa*, ubique utero & placentæ accreta.

Media est membrana *chorion.*

Intima membrana *Amnios* vocatur.

Usus hujus ovi est, ut liquorem amnii includat, ne ex utero effluat. Incipiente partu, pars inferior orificium uterinum dilatare juvat.

LIQUOR AMNII.

Eſt liquor lymphaticus, qui in cavo ovi penes fœtum includitur.

Origo. Secernitur ab exhalantibus arteriis membranarum ovi.

Uſus. Fœtum a preſſione uteri tuetur, illum nutrit, in partu orificium uteri dilatat, & vaginam humectando lubricat.

FOETUS.

Primo graviditatis *menſe* ovum magnitudinem ovi columbini habet, & fœtus in medietate liquoris amnii natans, *molleculam* repræſentat minimam.

Partes internæ quibus fœtus ab adulto differt, ſequentes ſunt.

1. *Foramen ovale*, quod in ſepto auricularum cordis invenitur.
2. *Canalis Botalii*, qui ex trunco arteriæ pulmonalis oblique ad truncum arteriæ aortæ fertur.
3. *Pulmo* fœtus eſt nigricans, collapſus, & in aquam projectus *fundum* petit, quam primum autem infans reſpiravit aquæ *innatat.*
4. Omnes *glandulæ* in fœtu majores ſunt.
5. *Urachus.* Eſt canalis membranoſus, tenuis, qui a ſuperiori fundo veſicæ ad umbilicum uſque aſcendit. Subinde medius, ſubinde totus canalis cavus reperitur.
6. *Inteſtina craſſa*, viridi & viſcida materia, quæ *meconium* vocatur, in fœtu replentur.

Omnes in fœtu recenſiti canales & fœtui peculiaria vaſa poſt partum collabuntur, & in ligamenta concreſcunt.

Proceſſus omnium fere oſſium in fœtu cartilaginei fere ſunt & ideo *epiphyſes* vocantur.

ANGIOLOGIA

SEU

DOCTRINA DE VASIS.

DE VASIS IN GENERE.

Vasa ſunt longi canales membranaci, qui ſanguinem vel alium humorem vehunt.

Diviſio vaſorum eſt in *arterias*, *venas*, & *vaſa lymphatica*.

Situs. Præter epidermidem, membranam arachnoideam & ungues, omnes partes corporis vaſa habent.

DE ARTERIIS IN GENERE.

Arteriæ ſunt canales membranacei, qui pulſant, ſenſim anguſtiores fiunt, & ſanguinem a corde ad alias partes vehunt.

Venæ ſunt etiam canales membranacei, ſed qui non pulſant, qui ſenſim latiores fiunt, atque ſanguinem a partibus ad cor revehunt.

Origo omnium *arteriarum* eſt a ventriculis cordis; nempe

1. *Arteria pulmonalis*, a dextro &
2. *Arteria aorta* a ſiniſtro cordis ventriculo incipit.

Diviſio unius arteriæ eſt in truncos, ramos, ramulos, & vaſa capillaria.

Finis arteriarum eſt triplex.

1. in *venas*. vel
2. in *vaſa ſecretoria*. vel
3. in *alias arterias* per *anaſtomoſim*.

Subſtantia. Arteria ex *tribus* membranis conſtat.

extima eſt *communis*.
media — *muſcularis*.
intima — *polita*.

Uſus. Arteriæ ſanguinem a corde ad partes vehunt.

1. Pro nutritione.
2. Vitæ conſervatione.
3. Calefactione &
4. Secretione variorum humorum.

SYSTEMA ARTERIÆ AORTÆ.

Aorta dat 1. duas *arterias coronarias* cordis.
2. dein *Arcum aortæ*.

Arcus aortæ dat 3. ramos.

1. *Arteriam innominatam* ex qua *Carotis dextra* & *Subclavia dextra*.
2. *Carotidem ſiniſtram*.
3. *Subclaviam ſiniſtram*.

Carotis dividitur in carotidem *externam* & *internam.*

Carotis externa dat 8. ramos in faciem.

Carotis interna dat in cavo cranii.
ramos cerebrinos.

Subclavia dat 4. ramos.

1. *Mammariam internam.*
2. *Cervicalem.*
3. *Vertebralem.*
4. *Intercoſtalem ſuperiorem.*

Subclavia continuatur in *axillarem*, axillaris in *brachialem.*

Brachialis dat ſub cubiti flexura 3. ramos.

1. *Cubitalem.*
2. *Radialem*
3. *Interoſſeam.*

Aorta deſcendens dat *in pectore* 4. *ramos.*

1. *Bronchialem.*
2. *Oeſophageam.*
3. 10. *intercoſtales inferiores.*
4. *Diaphragmaticam inferiorem.*

Aorta deſcendens in abdomine dat 8. *ramos.*

1. *Cœliacam.*
2. *Meſaraicam ſuperiorem.*
3. *Renales.*
4. *Spermaticas.*
5. *Meſaraicam inferiorem.*
6. *Lumbales.*
7. *Sacrales.*
8. *Iliacas.*

Iliacæ dividuntur in *internam* & *externam.*

Iliaca interna dat 5. ramos in pelvem.

Iliaca externa dat *epigaſtricam* & continuatur in *cruralem.*

Cruralis ſub poplite vocatur *poplitea.*

Poplitea dat ſub poplite 3. ramos.

1. *Tibialem anticam*
2. ——— *poſticam.* &
3. *Peroneam.*

AORTA.

Oritur ex ſiniſtro cordis ventriculo, *arcum* facit verſus dorſi vertebras, dein deſcendit per hiatum diaphragmatis in abdomen, in quo juxta ſiniſtrum latus ſpinæ dorſi ad ultimam vertebram lumborum pergit, ibi in duas *arterias iliacas* dividitur.

In tota hac via ſequentes oriuntur rami.

Arteriæ coronariæ cordis. Ex aorta ſub arcu ejus oriuntur, & in ſubſtantiam cordis, & auricularum diſtribuuntur.

Arcus aortæ dat 3. ramos.

1. *arteriam innominatam.*
2. *carotidem ſiniſtram.*
3. *ſubclaviam ſiniſtram.*

Arteria innominata ex arcu aortæ oritur & ſtatim iterum in duos ramos nempe in arteriam *ſubclaviam dextram* & *carotidem dextram* dividitur.

Arteriæ carotides ad laryngem usque recta aſcendunt, & ibi in duos ramos, in *carotidem externam* & *internam* dividuntur.

Carotis externa juxta aurem ad temporalem regionem aſcendit, & in hoc itinere 8. ramis diſpergitur in collum & faciem.

Carotis interna per canalem caroticum oſſis temporis cavum cranii ingreditur, & in ramos *cerebrinos anticos* & *poſticos*, qui in cerebri corticem abeunt, dividitur.

Arteriæ ſubclaviæ, juxta claviculam arcus inſtar flectuntur extrorſum in cavum ſubaxillare, in quo *arteriæ ſubaxillares* vocantur.

Arteria ſubclavia dat 4. ramos.

1. *Mammariam internam*, quæ juxta ſternum deſcendit.
2. *Cervicalem*, quæ in muſculos colli diſtribuitur.
3. *Vertebralem*, quæ per foramina 7. proceſſuum transverſalium colli aſcendit & per foramen occipitale magnum cavum cranii intrat.
4. *Intercoſtalem ſuperiorem*, quæ in 3. ramos dividitur, qui in margine coſtarum inferiori ad ſternum usque decurrunt.

Arteria axillaris continuatur in *brachialem*, quæ ad internum marginem muſculi bicipitis ad flexuram cubiti decurrit & ſub ea in 3. ramos dividitur.

1. *Arteria radialis* penes radium deſcendit in volam manus.

2. *Arteria interoſſea*, quæ in *externam* & *internam* ſe dividit, quarum una ſupra, altera infra ligamentum interoſſeum in muſculos antibrachii ſe diſtribuit.

3. *Arteria cubitalis* penes cubitum decurrit & ſub ligamento carpi ad volam manus pervenit, in hac dat

Arcum palmarem, ex hoc oriuntur 4. *arteriæ digitales*, quæ circa primam phalangem in duos ramos ſe dividunt, qui ad apices digitorum decurrunt.

Circa medietatem arteriæ brachialis vaſa lateralia deſcendunt, & a cubitali & radiali vaſa lateralia aſcendunt in brachium & ſe invicem anaſtomoſant. Hæc vaſa vocantur *vaſa anaſtomoſantia.*

AORTÆ DESCENDENTIS RAMI.

Aorta deſcendens ab arcu ad diaphragma uſque 4. dat ramos.

1. *Arterias bronchiales*, quæ ad veſiculas pulmonales & bronchia

2. *Arterias œſophageas*, quæ ad inferiorem partem œſophagi

3. 8. Paria *arteriarum intercoſtalium inferiorum*, quæ in inferiore margine 8. coſtarum inferiorum ad ſternum uſque decurrunt.

4. *Arterias diaphragmaticas inferiores*, quæ ad diaphragma abeunt.

Aorta deſcendens in abdomine dat 8. ramos.

1. *Arteriam cœliacam*, quæ ſolitaria eſt & ſub ventriculo in tres ramos dividitur.

in

in *arteriam ſtomachicam*, quæ ad ventriculum
in *arteriam ſplenicam*, quæ ad ſplenem
in ——— *hepaticam*, quæ ad hepar abit.

2. *Arteriam meſaraicam ſuperiorem*, quæ inteſtino jejuno, cæco, & colon dextro ramos dat.

3. *Arterias renales*, quæ ad renes abeunt.

4. *Arterias ſpermaticas*, quæ in lumbis deſcendunt & per annulos inguinales ad teſticulos abeunt, in mulieribus autem ad ovaria diſtribuuntur.

5. *Meſaraicam inferiorem*, quæ ad colon ſiniſtrum decurrit, & inteſtino recto dat *arteriam hæmorrhoidalem internam.*

6. *Arterias lumbares*, quæ ad muſculos lumborum & abdominis diſtribuuntur.

7. *Arterias ſacras*, quæ juxta os ſacrum deſcendunt.

8. *Arterias iliacas*, in quas aorta deſcendens dividitur circa ultimam vertebram lumbarem.

ARTERIÆ ILIACÆ.

Arteriæ iliacæ ſe dividunt in *externam* & *internam.*

Arteria iliaca interna, quæ etiam *hypogaſtrica* vocatur, ſe dividit in fœtu in 6. in adulto in 5. ramos, qui intra & circa pelvem dividuntur.

Arteria iliaca externa, egreditur e cavo pelvis ſub ligamento *Pupartii*, & in interna femoris parte deorſum pergit ad cavum ſubpopliteum. In hoc itinere *arteria cruralis* ſeu *femoralis* vocatur & in cavo ſubpopliteo *arteria poplitea.*

Arteria iliaca externa ſub exitu ex pelvi dat *Arteriam epigaſtricam*, quæ ſub muſculo recto in abdomine usque ad ſternum aſcendit.

Arteria cruralis, dat multos ramos *muſculares*, qui ad muſculos femoris abeunt, & *arterias laterales*, qui cum arteriis *genualibus recurrentibus* a tibiali anaſtomoſant.

Arteria poplitea ad duos pollices ſub poplite in *tibialem anticam* & *poſticam* atque *peroneam* dividitur.

1. *Arteria tibialis antica* ligamentum interoſſeum perforat, ſuper illo anterius deſcendit ad dorſum pedis usque ibi penes pollicem pedem perforat, & in plantam pedis egreditur.

2. *Peronea* retro fibulam deſcendit, inferius perforat ligamentum interoſſeum & ad dorſum pedis egreditur.

3. *Tibialis poſtica* autem in interna & poſtica parte tibiæ deſcendit, & retro malleolum internum in plantam pedis egreditur, in qua *arcum plantarem*, ex qua *arteriæ digitales* oriuntur, format.

SYSTEMA ARTERIÆ ET VENÆ PULMONALIS.

Arteria pulmonalis ex dextro cordis ventriculo oritur, recta aſſurgit ex pericardio, & illico in *duos ramos* dividitur.

Ramus dexter in dextrum pulmonem,

Ramus ſiniſter in ſiniſtrum pulmonem abit. Uterque in pulmonis ſubſtantia in innumeros ramos

& ramulos retis adinſtar in veſiculis pulmonalibus diſtribuitur, & in venulas pulmonales finitur.

Venæ pulmonales oriuntur ab extremitatibus arteriarum pulmonalium, demum 4. formant *ramos*, qui in *ſinum venoſum ſiniſtrum* cordis ſe evacuant.

DE VENIS IN GENERE.

Venæ ſunt canales longi ac membranacei, qui perpetuo latiores fiunt, non pulſant, atque ſanguinem a partibus ad cor revehunt.

Origo venarum eſt duplex.

1. Ab *extremitatibus* arteriarum per anaſtomoſim.
2. A *ſuperficie externa* & *interna* totius corporis per *venas abſorbentes*.

Finis venarum eſt in ſinus cordis, ſeu

1. in *venam cavam*, quæ in dextrum,
2. in *venam pulmonalem*, quæ in ſiniſtrum ſinum cordis ſe evacuat.

Figura venarum ramoſa eſt ut arteriarum.

Subſtantia ex tribus membranis, quæ vero tenuiores, quam in arteriis ſunt, conſtat.

Valvulæ venarum ſunt membranulæ ſemilunares, quæ reditum ſanguinis in vena impediunt.

Uſus venarum eſt reducere ſanguinem a partibus ad cor; abſorbere tenues humores a ſuperficie interna & externa totius corporis.

RAMI VENÆ CAVÆ.

Vena cava dat *ſuperiorem* & *inferiorem*.

Rami venæ cavæ ſuperioris ſunt.

Subclaviæ.

Jugulares externæ.

——— *internæ.*

Vena azygos.

Rami jugularis externæ ſunt.

Frontalis.

Angularis.

Temporalis.

Auricularis.

Sublingualis.

Occipitalis.

Rami jugularis internæ ſunt.

Sinus laterales duræ matris.

Laryngea.

Pharingea.

Rami venæ azygos ſunt.

Vertebrales.

Intercoſtales.

Bronchiales.

Diaphragmatica.

Rami venæ ſubclaviæ ſunt.

Mammariæ.

Axillares.

Rami venæ axillaris ſunt.

Brachialis.

Cephalica.

Baſilica.

Mediana.

Salvatella.

Cæphalica pollicis.
Digitales.

Rami venæ cavæ inferiores ſunt.

Hepaticæ.
Renales.
Spermatica dextra.
Lumbares.
Sacrales.
Iliacæ.

Venæ iliacæ dividuntur in *iliacam internam* & *externam.*

Rami iliacæ internæ ſunt.

Obturatoria.
Pudenda dorſalis.
Hæmorrhoidales externæ.

Rami iliacæ externæ ſunt.

Epigaſtrica.
Cruralis.

Rami venæ cruralis ſeu femoralis ſunt vena poplitea.

Rami popliteæ ſunt,

Tibialis antica &
Tibialis poſtica.
Peronea.
Cephalica pollicis.
Saphena.
Dorſales pedis.
Plantares.
Digitales pedis.

SYSTEMA VENÆ CAVÆ.

Vena cava incipit ſeu ſe evacuat in dextrum ſinum venoſum cordis, ſtatim autem dividit ſe
in *venam cavam ſuperiorem.*
in *venam cavam inferiorem.*

Vena cava ſuperior, recipit omnem ſanguinem, qui redit a capite, collo, thorace, & extremitatibus ſuperioribus.

Vena cava inferior, recipit omnem ſanguinem ex abdomine, & extremitatibus inferioribus redeuntem.

VENÆ CAPITIS.

Sanguis ex cerebro, facie, & collo redit per 4. venas;
per 2. *Venas jugulares externas.*
per 2. *Venas jugulares internas.*

Venæ jugulares internæ incipiunt a foramine lacero cranii, revehunt ſanguinem omnem a cerebro & cerebello in venas ſubclavias.

Venæ jugulares externæ ad latera colli ſtatim ſub integumentis communibus colli locantur, etiam in venas ſubclavias ſe evacuant & reducunt ſanguinem a partibus externis capitis & colli, hinc in eas ſe evacuant *vena frontalis*, *venæ angulares*, *temporalis*, *auricularis*, *ſublingualis*, *occipitalis.*

VENÆ EXTREMITATUM SUPERIORUM.

Ex *venis digitalibus* redit ſanguis
in *cephalicam pollicis*, quæ juxta pollicem &

in *venam ſalvatellam*, quæ juxta digitum minimum locatur.

In flexura cubiti ſunt tres venæ notabiles.

1. *Baſilica*, quæ in inferiore,
2. *Cephalica*, quæ in ſuperiore parte antibrachii decurrit &
3. *Mediana*, quæ a medietate antibrachii ad baſilicam & cephalicam aſcendit.

Omnes hæ venæ in *venas brachiales*, hæc in *axillarem*, hæc in *ſubclaviam* ſe evacuat.

VENA CAVA SUPERIOR.

Venæ axillares ſub claviculis decurrunt & *ſubclaviæ* vocantur. Utraque ſubclavia in unum truncum unitur, qui *vena cava ſuperior* dicitur.

VENA CAVA INFERIOR.

Vena cava inferior ab ultima vertebra lumborum in dextro latere ſpinæ dorſi aſcendit, dextrum diaphragmatis foramen perforat, atque cum vena cava ſuperiori ſe unit, & deſinit cum eadem in ſinu venoſo dextro cordis.

In cavo abdominis recipit *venas hepaticas*, *renales*, *ſpermaticam dextram*, *lumbares*, *ſacrales* & *iliacas*.

VENÆ EXTREMITATUM INFERIORUM.

Venæ digitales pedis ſe evacuant
in *cephalicam*, quæ a pollice
in *ſaphenam*, quæ a digito minimo &
in *dorſalem*, quæ in dorſo pedis decurrit.

Hæ cum *venis plantaribus* in *malleolares* & *ſurales*, hæ in venam *ſubpopliteam* ſe evacuant.

Subpoplitea aſcendit & *femoralem* ſeu *venam cruralem* format. Hæc ſub ligamento Pupartii in cavum pelvis ingreditur, atque cum *vena iliaca interna*, quæ venas hæmorrhoidales *externas* & *hypogaſtricas* recipit, ſe unit. Utraque *vena iliaca* demum in inferiorem partem venæ cavæ inferioris circa ultimam vertebram lumborum ſe evacuat.

SYSTEMA VENÆ PORTÆ.

Vena portæ vocatur magna illa vena, quæ ſanguinem a viſceribus abdominalibus in ſubſtantiam hepatis ducit.

Pars abdominalis a tribus ramis venoſis componitur nempe

a *vena ſplenica.*

a *vena meſaraica.*

a *vena hæmorrhoidali interna.*

CIRCULATIO SANGUINIS IN FOETU.

Fœtus recipit ſanguinem a matre per *venam umbilicalem* & illum matri remittit per 2. *arterias umbilicales.*

DE VASIS LYMPHATICIS.

Sunt tenuiſſima vaſa, quæ lympham a partibus revehunt.

Origo eſt a cavitatibus majoribus, vel a viſceribus.

Finis omnium vaſorum lymphaticorum, colli, thoracis, abdominis, extremitatum ſuperiorum & inferiorum, eſt in ductum thoracicum.

Uſus vaſorum lymphaticorum, eſt reductio lymphæ a partibus.

NEVROLOGIA

SEU

DOCTRINA DE NERVIS.

DE NERVIS IN GENERE.

Nervi ſunt longi, albicantes funiculi, qui ſenſationi inſerviunt.

Origo nervorum eſt duplex.

1. a *cerebro* vel
2. a *medulla ſpinali.*

Finis eſt in *organa ſenſuum*, in *viſcera*, in *vaſa*, in *muſculos.*

Figura nervi eſt ramoſa.

Subſtantia nervi eſt duplex.

Vagina nervi, quam dura & pia mater dat.

Pulpa nervea, quæ ex tenuiſſimis canalibus, qui *liquidum nerveum* continent, conſtat.

Uſus. Nervi inſerviunt.

1. *Senſationi* partium ſenſilium.
2. *Senſibus* 5. externis ut *tactui*, *viſui*, *auditui*, *odoratui*, *guſtui.*
3. *Motui muſculorum.*

Anatomici nervos dividunt in *cerebrinos* & *ſpinales*.

Cerebrini vocantur, qui a cerebro orti per foramina cranii exeunt.

Spinales dicuntur, qui a medulla ſpinali orti per foramina lateralia vertebrarum exeunt.

Numerus nervorum. 9. *Paria* ſunt nervorum cerebrinorum. 30. *Paria* nervorum ſunt ſpinalium.

9. *Paria nervorum cerebrinorum* ſunt.

1. Par. nervi *olfactorii.*
2. — — *optici.*
3. — — *oculos motorii.*
4. — — *pathetici.*
5. — — *trigemini.*
6. — — *abducentes.*
7. — — *auditorii.*
8. — — *vagi.*
9. — — *linguales.*

30. *Paria nervorum ſpinalium* dividuntur

1. in 8. *paria nervorum cervicalium.*
2. — 12. — — *dorſalium.*
3. — 5. — — *lumbarium.*
4. — 5. — — *ſacrorum.*

DE NERVIS CEREBRI IN SPECIE.

I. PAR. NERVI OLFACTORII.

A corporibus ſtriatis cerebri oriuntur, & per foramina cribroſa oſſis ethmoidei in cavum narium abeunt, & ibi plurimis ramulis in membranam

pituitariam narium distribuuntur, inserviunt odoratui.

II. PAR. NERVI OPTICI.

A thalamis nervorum opticorum in cerebro orti, per foramina optica ossis sphænoidei in orbitam abeunt, ibi bulbum oculi perforant, & in eo tunicam retinam, quæ visus est organum, formant.

III. PAR. NERVI OCULOS MOTORII.

Abeunt per *rimam orbitalem superiorem* in orbitam, & ibi in musculos bulbi dividuntur.

IV. PAR. NERVI PATHETICI.

Per rimam orbitalem superiorem in orbitam abeunt, in qua in musculum obliquum superiorem distribuuntur.

V. PAR. NERVI TRIGEMINI.

Hi adhuc in cavo cranii in tres ramos dividuntur, nempe

1. in *ramum orbitalem.*
2. — ——— *maxillarem superiorem.*
3. — ——— ——— *inferiorem.*

1. *Ramus orbitalis* per rimam orbitalem superiorem in orbitam abit, in qua in 3. dividitur ramos.
   1. in *ramum frontalem*, qui per foramen superciliare ex orbita in frontem exit.
   2. in *ramum lachrymalem*, qui ad glandulam lachrymalem
   3. in *ramum nasalem*, qui per foramen orbitale nasi in cavum narium abit.

2. *Ramus maxillaris ſuperior* per foramen rotundum e cavo cranii egreditur, tranſit canalem infraorbitalem, & per foramen anticum hujus canalis in faciem ſeu maxillam ſuperiorem emergit.

3. *Ramus maxillaris inferior* per foramen ovale e cavo cranii egreditur & dein dato ramo ad linguam per canalem mentalem maxillæ inferioris pergit.

VI. PAR. NERVI ABDUCENTES.

Per fiſſuram orbitalem ſuperiorem in orbitam egreditur, in qua in muſculum abducentem ſeu rectum externum abit.

VII. PAR. NERVI AUDITORII.

Hi in ramum *mollem* & ramum *durum* dividuntur.

Uterque ramus in orificium meatus auditorii interni abit.

Ramus mollis per foraminula meatus auditorii in labyrinthum auris internæ diſtribuitur & primarium auditus organum conſtituit.

Ramus durus in meatu auditorio interno aquæductum fallopii ingreditur, & ex eo per foramen ſtylomaſtoideum in regionem temporalem emergit.

VIII. PAR. NERVI VAGI.

Per foramina lacera cranii in collum, thoracem, & abdomen egrediuntur, & omnibus viſceribus in collo, thorace & abdomine dant nervos.

IX. PAR. NERVI LINGUALES.

Per *foramina condyloidea anteriora* ad linguam abeunt.

NERVI MEDULLÆ SPINALIS.

Nervi, qui a medulla ſpinali oriuntur, *ſpinales* vocantur & exeunt per foramina lateralia vertebrarum & oſſis ſacri.

NERVI CERVICALES.

Nervorum cervicalium ſunt 8. paria.

Primum par vocatur *nervi occipitales*, hi intra os occipitis & primam vertebram colli exeunt, & diſtribuuntur ad occiput & collum.

Reliqua 7. paria *nervorum* cervicalium diſtribuuntur ad muſculos colli: ab his nervis oriuntur

1. *Nervus acceſſorius Williſii.*
2. *Nervus phrenicus* ſeu *diaphragmaticus.*
3. *Plexus brachialis.*

Nervi acceſſorii aſcendunt per foramen occipitale magnum in cavum cranii, & iterum ex eo per foramina lacera exeunt in muſculum trapezium.

Nervi phrenici deſcendunt ad cavum thoracis, in quo penes pericardium ad diaphragma abeunt.

Plexus brachialis formatur a 5. infimis paribus cervicalibus & primo pare dorſali & diſtribuitur in 6. ramos, qui in extremitates ſuperiores abeunt.

1. *Nervus articularis*, qui in articulo humeri diſtribuitur.
2. *Nervus medianus* cum arteria brachiali deſcendit in volam manus uſque, ibi pollici, indici

& digito medio duos dat ramos *digitales* dictos & digito anulari ramum digitalem unum.

3. *Nervus ulnaris* a plexu brachiali descendit penes condylum internum brachii in volam manus, in qua digito anulari unum & digito auriculari duos dat ramos *digitales*.

4. *Nervus radialis* penes externum brachii & antibrachii latus ad dorsum manus descendit, in quo itinere ubique in musculos distribuitur.

5. *Nervus cutaneus externus* penes venam medianam descendit in antibrachio ad pollicem.

6. *Nervus cutaneus internus* in interno brachii & antibrachii latere descendit fere usque ad digitum minimum.

NERVI DORSALES.

Nervorum *dorsalium* sunt 12. paria, quæ sub inferiore margine costarum ad sternum decurrunt, & nervi *costales* vocantur. Distribuuntur in musculos & cutem dorsi atque thoracis.

NERVI LUMBALES.

Nervorum *lumbalium* sunt 5. paria, quæ distribuuntur ad musculos & cutem lumborum atque abdominis.

NERVI SACRI.

Nervorum *sacrorum* sunt etiam 5. paria, quæ a cauda equina medullæ spinalis oriuntur, & per foramina interna ossis sacri exeunt, & in cavo pelvis distribuuntur in vesicam urinariam, vesicu-

las feminales, penem, uterum, vaginam & inteſtinum rectum.

Nervi *extremitatum inferiorum* a lumbalibus & ſacris formantur, & numero 3. ſunt.

1. *Nervus obturatorius*, per inciſuram ſuperiorem foraminis ovalis e cavo pelvis exit, & in muſculos circa pelvem diſtribuitur.

2. *Nervus cruralis* cum vaſis cruralibus ſub ligamento Pupartii ex cavo abdominis exit, diſtribuitur in muſculos & cutem femoris & cruris, ad dorſum pedis usque.

3. *Nervus iſchiaticus* e cavo pelvis per exciſuram iſchiaticam egreditur, dein intra tuberoſitatem iſchii, & trochanterem majorem femoris, in exteriori & poſtica femoris parte deſcendit in cavum popliteum, ſub quo in ramum tibialem & peroneum dividitur.

Ramus tibialis juxta malleolum internum in plantam pedis deſcendit, in qua nervum plantarem *internum* & *externum* a quibus *nervi digitales* formantur, abit.

Ramus peroneus multis ramis in muſculos cruris & dorſum pedis diſtribuitur.

NERVI INTERCOSTALES MAGNI.

Nervus intercoſtalis magnus oritur in cavo cranii a ramo ſexti paris, & ramo quinti paris, conjunctus in unum truncum per canalem caroticum e

cavo cranii egreditur, & juxta latera corporum vertebralium colli, thoracis, lumborum & oſſis ſacri deſcendit.

In hoc itinere ab omnibus 30. paribus nervorum ſpinalium duos *ramulos acceſſorios* acquirit, & ſequentes ramos nerveos format.

In *Collo* dat 3. *ganglia cervicalia.*
ſupremum.
medium.
infimum.

Ab his oriuntur *nervi cardiaci*, qui ad cor & *nervi pulmonales*, qui ad pulmones abeunt.

In *thorace* dat *nervum ſplanchnicum* ſeu *intercoſtalem anteriorem*, qui diaphragma perforat & in abdomine circa renes *ganglia ſemilunaria* format, ex quibus nervi ad omnia viſcera abdominalia exeunt.

Nervus *intercoſtalis poſterior* circa ſpinam dorſi, & lumborum, atque os ſacrum & coccygis deſcendit, & demum ibi finitur.

ADENO-

ADENOLOGIA.

SEU

DOCTRINA DE GLANDULIS.

DE GLANDULIS GENERATIM.

Glandula eſt parva machina, quæ ſecretioni alicujus humoris inſervit.

Diviſio glandularum eſt in tres *ſpecies*.

1. in *folliculoſas*, quæ ex folliculo cavo conſtant.
2. in *globatas*, quæ ex glomere vaſorum lymphaticorum conſtant, & ductum excretorium non habent.
3. in *glomeratas*, quæ ex glomere vaſorum conſtant & ductum excretorium habent.

Ductus excretorius glandularum eſt canalis tenuis, qui e glandula exit, & ſuccum a glandula ſecretum excernit.

Secunda glandularum *diviſio* eſt a liquido, quod ſecernunt in glandulas *ſebaceas*, *muciparas*, *lymphaticas*, *lachrymales*, *ſalivales*, *bilioſas*, *lacteas &c.*

Uſus glandularum eſt, ſecernere aliquem humorem. In *infantibus* ſunt glandulæ majores, quam in adultis.

GLANDULÆ IN CAVITATE CRANII.

Glandulæ duræ matris, quæ in dura matre juxta ſinum longitudinalem locantur.

Glandula pituitaria, quæ in ſella turcica locatur.

GLANDULÆ OCULORUM.

Glandulæ Meibomianæ ſunt glandulæ *ſebaceæ*, quæ juxta tarſos palpebrarum locantur.

Glandula lachrymalis in externo angulo orbitæ.

Caruncula lachrymalis in interno angulo palpebrarum.

GLANDULÆ ORIS.

Glandularum ſalivalium ſunt 3. paria.

Glandulæ parotides, quæ ſub auribus locantur, eorum ductus *ſtenonianus* dicitur, & pergit ab aure per buccam, ubi circa tertium dentem molarem ſuperiorem in cavum oris aperitur.

Glandulæ maxillares, ſub angulo maxillæ,

Glandulæ ſublinguales, ſub lingua,

Glandulæ mucoſæ oris, in tonſillis, uvula & faucibus inveniuntur.

GLANDULÆ NARIUM.

Glandulæ mucoſæ, quæ in membrana pituitaria narium ſunt.

GLANDULÆ AURIUM.

Glandulæ ceruminoſæ meatus auditorii externi, quæ ſub cute meatus auditorii externi locantur, & *cerumen* ſecernunt.

GLANDULÆ COLLI.

Glandulæ jugulares, quæ in laterali parte colli,

Glandulæ ſubmaxillares, quæ ſub cute ſub maxilla inferiori locantur.

Glandula thyroidea, eſt magna & ſupra cartilaginem thyroidem laryngis locatur.

GLANDULÆ THORACIS.

Glandulæ externæ.

Glandulæ mammariæ, ſub pinguedine in mammis ſunt.

Glandulæ internæ.

Glandulæ bronchiales, quæ in bronchiis pulmonum ſunt.

Glandula Thymus, in antico ſpatio mediaſtini eſt.

GLANDULÆ ABDOMINIS.

Glandulæ gaſtricæ, quæ in ventriculo,

——— *inteſtinales*, quæ in inteſtinis,

——— *meſaraicæ*, quæ in meſenterio ſunt.

Glandulæ hepaticæ, quæ etiam *acini bilioſi* vocantur, & in ſubſtantia hepatis locantur.

——— *ſuprarenales*, quæ magnæ ſunt & ſupra renes locantur.

GLANDULÆ GENITALIUM VIRILIUM.

Glandulæ mucoſæ urethræ, quæ ſub interna urethræ membrana,

——— *ſebaceæ præputii*, quæ circa glandem locantur.

Glandula proſtata, quæ ſub collo veſicæ eſt.

GLANDULÆ GENITALIUM MULIEBRIUM.

Glandulæ odoriferæ labiorum, ſub cute labiorum,
Glandulæ mucoſæ urethræ, ſub membrana interna urethræ,
——— ——— *vaginales*, ſub membrana interna vaginæ locantur.

GLANDULÆ EXTREMITATUM.

Glandulæ inguinales, ſub cute in inguinibus,
——— *ſubaxillares*, ſub cute in cavo ſubaxillari,
——— *ſynoviales*, in cavo articulationum inveniuntur.

GLANDULÆ CUTIS.

Glandulæ ſubcutaneæ, ſub cute locantur & *ſebum oleoſum* ſecernunt.

F I N I S.

HYGROLOGIA

SEU

DOCTRINA DE HUMORIBUS

CORPORIS HUMANI.

I 3

HYGROLOGIA

SEU

DOCTRINA DE HUMORIBUS CORPORIS HUMANI.

LIQUIDÆ noſtri corporis partes *humores* vocantur. Hi *dividuntur* in humores *ſecretos* & non *ſecretos*.

HUMORES NON SECRETI.

1. *Chylus*. Eſt humor albus, lacti ſimilis, qui ex cibis in ventriculo & inteſtinis tenuibus digeſtis oritur, & per vaſa lactea inteſtinorum, per receptaculum chyli, atque per ductum thoracicum in ſanguinem fluit.
2. *Sanguis*. Eſt humor rubicundus, qui in corde, arteriis & venis continetur.

Dividitur ſanguis ex vena emiſſus
in *cruorem*, qui ex globulis rubris &
—*ſerum*, quod ex gelatina, pauca terra & ſale, at maxime ex aqua conſtat.

3. *Lympha* eſt aqua gelatinoſa, quæ in vaſis lymphaticis continetur.

4. *Succus nutrititius*, qui gelatina ſubtiliſſima eſt, & in omnibus partibus atque humoribus, ſolis excrementitiis exceptis, continetur.

HUMORES A SANGUINE SECRETI.

IN CAVO CRANII ET SPECU VERTEBRALI.

1. *Liquidum nerveum.* Eſt humor tenuiſſimus, qui a ſubſtantia corticali in medullam cerebri, cerebelli, & medullam ſpinalem ſecernitur, atque exinde in omnes nervos totius corporis fluit.

2. *Vapor aquoſus*, qui in cavo cranii, in 4. ventriculis cerebri & in ſpecu medullæ ſpinalis continetur, atque a vaſis exhalantibus ſecernitur.

IN CAVO NARIUM.

Mucus narium, qui a glandulis membranæ pituitariæ in naribus ſecernitur.

IN CAVO ORIS.

Saliva, eſt humor, qui a tribus paribus glandularum ſalivalium in cavum oris pro maſticatione ciborum ſecernitur.

IN CAVO FAUCIUM.

Mucus faucium & œſophagi, qui a glandulis muciparis pro faciliori deglutitione ſecernitur.

IN OCULIS.

Sunt tres humores bulbi.

1. *Humor aqueus*, qui in camera antica & postica oculi continetur.
2. *Lens crystallina*, quæ in antica parte humoris vitrei, &
3. *Humor vitreus*, qui in postica bulbi parte locatur.

Extra bulbum sunt,

1. *Lachrymæ*, quæ in glandula lachrymali secernuntur, & per ductus excretorios hujus glandulæ, intra superiorem palpebram, in anticam superficiem bulbi effunduntur.

   Lachrymæ a punctis lachrymalibus iterum absorbentur, atque per canales lachrymales in saccum lachrymalem, & ex eo, per ductum nasalem, in cavum narium ducuntur.
2. *Succus glandularum Meibomianarum*, qui in tarsis palpebrarum a glandulis sebaceis seu *Meibomianis* secernitur.

IN AURIBUS.

1. *Cerumen aurium*, quod in meatu auditorio externo a glandulis sebaceis secernitur.
2. *Aqua auditoria*, quæ in vestibulo & canalibus semicircularibus auris internæ continetur.

IN COLLO.

Succus glandularum submaxillarium, jugularium & glandulæ thyroideæ, qui lympha gelatinosa est.

IN MAMMIS.

Lac mammarum, quod in puerperis a glandulis mammariis secernitur, & per vasa galactaphora, seu lactea mammarum, in papillam fluit.

IN THORACE.

Mucus laryngis, *tracheæ & bronchiorum*, qui a glandulis harum partium ſecernitur, & ſæpe per tuſſim ejicitur.

Succus glandulæ thymus, qui albicans eſt.

Vapor pericardii & cavitatum thoracis, qui ab arteriis exhalantibus ſecernitur.

Materia perſpirabilis pulmonum, quæ ex pulmonibus exhalat.

IN ABDOMINE.

1. *Succus gaſtricus*, qui in ventriculo, &
2. *Succus entericus*, qui in inteſtinis ab arteriis exhalantibus ſecernitur.
3. *Succus pancreaticus*, qui a glandulis pancreatis ſecernitur, & per ductum pancreaticum in inteſtinum duodenum pro digeſtione ciborum fluit.
4. *Bilis* eſt ſuccus flavus & amarus, qui in ſubſtantia hepatis ſecernitur, atque per ductum hepaticum, partim in inteſtinum duodenum fluit, partim in veſiculam felleam regurgitat.

   Bilis in veſicula fellea, ſpiſſior & acrior evadit, atque ſub digeſtione per ductum choledochum in duodenum iterum effluit.
5. *Mucus ventriculi & inteſtinorum* a glandulis muciparis ſecernitur, & has partes oblinit.
6. *Chymus* eſt maſſa cineritia, quæ a cibis nondum digeſtis in ventriculo & inteſtino duodeno continetur, ex quo dein *chylus* elaboratur. V. *chylus*.
7. *Fæces inteſtinorum* ſunt maſſa fætida, quæ a digeſtione ciborum remanet, in inteſtinis craſſis continetur, ac tandem per anum eliminatur.

IN VESICA URINARIA.

1. *Urina* eſt humor aquoſus & acris, qui in renibus ſecernitur, & per uretheres in veſicam urinariam defluit, ac tandem ex veſica per urethram expellitur. Conſtat aqua, terra & ſale microcoſmico.
2. *Mucus* veſicæ urinariæ, qui internam veſicæ ſuperficiem illinit.

IN GENITALIBUS VIRORUM.

1. *Semen* ſeu *ſperma* eſt liquor, qui ab arteriis ſpermaticis in teſticulis ſecernitur, atque ex teſticulis per vas deferens in veſiculas ſeminales defertur, & tempore coitus ex veſiculis ſeminalibus per ductus ejaculatorios in urethram ejicitur.
2. *Mucus urethræ*, qui e glandulis urethræ ſecernitur.
3. *Succus glandulæ proſtatæ*, qui albicans eſt, & tempore coitus cum ſemine in urethram effluit.
4. *Succus glandularum odoriferarum glandis*, qui circa coronam glandis ſecernitur.
5. *Vapor tunicæ vaginalis* teſticulorum, qui aquoſus eſt.

IN GENITALIBUS MULIERUM.

1. *Mucus vaginæ & urethræ*, qui a glandulis harum partium ſecernitur.
2. *Succus glandularum odoriferarum*, quæ in labiis locantur.
3. *Sanguis menſtruus*, qui ex vaſis arterioſis in cavo uteri omni menſe ſecernitur.
4. *Sanguis lochialis*, qui poſt partum ex cavo uteri per aliquot dies exit.

5. *Liquor amnii*, qui tempore graviditatis penes fœtum in ovo membranaceo uteri continetur.

IN FOETU.

Meconium seu fæces nigræ, quæ in intestinis crassis fœtus continentur.

IN ARTICULATIONIBUS.

1. *Synovia* seu liquor articularis, qui in articulorum cavitatibus secernitur.
2. *Succus vaginarum tendinum*, qui muco tenui similis est.

IN OSSIBUS.

1. *Medulla ossium* seu substantia pinguedinosa, quæ in medietate ossium longorum continetur.
2. *Succus medullaris* est humor oleosus, qui in substantia cavernosa ossium locatur.

IN INTEGUMENTIS COMMUNIBUS.

1. *Mucus Malpighianus*, qui sub epidermide in cellulis locatur, atque in Europæis albus, in æthiopibus niger est.
2. *Succus glandularum subcutanearum*, qui pinguis est, atque per ductus harum glandularum in cutem exit.
3. *Succus pilorum*, qui in cavo celluloso pilorum continetur, & a quo pili suum colorem habent.
4. *Materia perspirabilis*, quæ sub forma vaporis invisibilis per vasa exhalantia arteriosa ex tota superficie cutis perpetuo exhalat; quando hicce vapor in guttas visibiles super cute colligitur, tunc *sudor* vocatur.
5. *Oleum membranæ adiposæ*, quod ubique in cellulis telæ cellulosæ & in omento a poris lateralibus arteriarum secernitur.

PHYSIOLOGIA

SEU

DOCTRINA DE ACTIONIBUS

CORPORIS HUMANI.

INDEX.

De Physiologia generatim.
De natura & viribus corporis animati.
De actionibus corporis animati.
Actiones vitales.
Circulatio sanguinis.
Actio cordis.
—— arteriarum.
—— venarum.
Calor.
Respiratio.
Actiones animales.
Anima.
Sensatio generatim.
Sensus externi.
Tactus.
Gustus.
Olfactus.
Auditus.
Visus.
Sensus interni.
Irritabilitas.
Actio musculorum.
Vox & Loquela.
Vigiliæ.
Somnus.

Actiones naturales.

Fames.
Sitis.
Masticatio.
Deglutitio.
Digestio ciborum.
Chylificatio.
Transitus chyli in sanguinem.
Sanguificatio.
Nutritio, incrementum & decrementum corporis.
Secretio humorum.
Excretio humorum excrementitiorum.
Expulsio fæcis.
Excretio urinæ.
Transpiratio.
Inhalatio.

Actiones sexuales.

Se - & excretio seminis.
Menstruatio.
Conceptus.
Evolutio embrionis.
Graviditas.
Partus.
Puerperium.
Hominis ætates.
Mors.



DE PHYSIOLOGIA GENERATIM.

Physiologia est scientia actionum & virium corporis animati.

Homo *vivus* constat Corpore & Anima.

Corpus est machina, quæ ex partibus solidis & fluidis componitur.

Anima est ens incorporeum, quo mediante corpus vivum cogitat, & actiones animales exercet.

DE NATURA ET VIRIBUS CORPORIS ANIMATI.

Cum homo machina non solum mechanico-hydraulica, sed simul animata sit: hinc vires non solum *Physicas* omni machinæ mechanico-hydraulicæ communes, sed etiam vires *animales*, solis animalibus animatis proprias, exercet.

Vires corporis nostri *physicæ* sunt.

1. *Vis gravitatis*, qua corpora in linea ad solum perpendiculari descendunt, vel descendere conantur.
2. — *inertiæ*, qua corpora quieti & motui resistunt.

3. *Vis elasticitatis*, qua corpora vi quadam extensa ad pristinam figuram sponte redeunt vi extendente ablata.
4. — *motrix*, qua corpora impresso motu moventur, donec vis motus non remittit.
5. — *attractionis*, seu *affinitatis*, qua duo corpora sponte sua ad se mutuo tendunt.
6. — *repulsionis*, qua duo corpora se sponte repellunt.

Vires *animalitatis* nostri corporis sunt.

1. *Vis irritabilitatis*, qua fibræ quædam nostri corporis stimulo irritatæ se contrahunt.
2. *Vis sensitivitatis*, qua fibræ quædam stimulo irritatæ in anima sensationem causant.
3. — *animæ*, qua voluntate animæ pars quædam se movet.
4. — *nervea*, qua anima etiam nollente, mutatio fit in quadam parte, ut erectio penis, aut rubor genarum in verecundia.
5. — *consolidans* qua partes vulneratæ consolidantur.
6. — *fermentativa*, qua humores animales motu intestino mutantur ex una in aliam indolem.

Aggregatum omnium harum virium*, quas corpus animatum exercet, *natura corporis humani* vocatur.

DE ACTIONIBUS CORPORIS ANIMATI.

Natura corporis animati ope suarum virium, quas a CREATORE insitas habet, & ope partium soli-

darum & fluidarum, quibus corpus exſtructum eſt, varias peragit actiones, quæ *corporis animati functiones*, vocantur.

Hæ actiones dividuntur.

1. In *Actiones vitales*, quæ vitam faciunt.
2. — ——— *animales*, quæ ſenſum & motum peragunt.
3. — ——— *naturales*, quæ corpus conſervant.
4. — ——— *ſexuales*, quæ ſpeciem ſui individui propagant.
5. — ——— *publicas*, quæ toti corpori,
6. — ——— *privatas*, quæ uni ſolummodo parti inſerviunt.
7. ——— *Fœtus*, quæ ipſi privatæ ſunt.

Has actiones phyſiologia conſiderat, privata autem ſingulæ partis actio in *anatomia*, *hygrologia*, *phyſica*, *&c.* explicatur.

His ergo ſcientiis bene imbuti ſint oportet, qui ſtudio phyſiologico incumbere ambiunt.

DE ACTIONIBUS VITALIBUS GENERATIM.

Vitales dicuntur actiones, quæ *vitam* in corpore faciunt.

Vita noſtri corporis conſiſtit in *circulatione ſanguinis*; hac enim ceſſante ceſſat vita.

Ad *circulationem* autem requiritur

Actio cordis.

—— *arteriarum.*

—— *venarum.*

Respiratio, saltem in homine nato, &

Calor nostri corporis.

CIRCULATIO SANGUINIS.

Sanguis perpetuo movetur

1. Ex cordis ventriculis in arterias.
2. Ex arteriis in venas.
3. Ex venis iterum in ventriculos cordis.

Nempe sanguis ab universo corpore redux per venas cavas.

1. In sinum dextrum & simul in auriculam dextram cordis,
2. Ex auricula dextra in ventriculum dextrum impellitur.
3. Ex eo in arteriam pulmonalem ejicitur.
4. Ex ea in venas pulmonales transit.
5. Ex quibus in sinum sinistrum & auriculam sinistram simul &
6. Ex auricula sinistra in ventriculum sinistrum pellitur, ex quo
7. In aortam projicitur, ex qua per totum corpus defertur.

Tota massa humorum, quæ 50. libris circiter æqualis est, spatio unius horæ *decies* circiter integrum circulum absolvit.

Usus circulationis est, ut omnes partes

1. Vivant & calefiant.

2. Ut nutriantur.
3. Ut humores pro corpore neceſſarii ſecernantur.
4. Ut ſanguis ſervetur fluidus & non putreſcat.
5. Ut Chyli elaboratio in ſanguinem fiat.

ACTIO CORDIS.

Cordis actio conſiſtit in alterna *dilatatione* & *contractione* ſuarum auricularum & ventriculorum.

Dilatatio cordis *diaſtole*, contractio ejus *ſiſtole* dicitur.

Cor *contrahitur* ope ſuarum fibrarum muſcularium.

Cauſa diſponens ad contractionem, eſt ſumma cordis irritabilitas.

Cauſa irritans ad contractionem eſt 1. ſtimulus ab irruente ſanguine venoſo, & 2. influxus liquidi nervei per nervos cardiacos in fibras cordis.

Cor omni hora 4500. pulſat. Hinc

Cor intra 24 horas 108000*ies* alterne contrahitur, & relaxatur.

Uſus cordis eſt ſanguinis receptio a venis, expulſio in arterias, & motus totius ſanguinis.

ACTIO ARTERIARUM.

Arteriæ ab impulſo ſanguine dilatantur & ſimul irritantur: atque ope fibrarum ſuarum muſcularium iterum ſe contrahunt, & ſic ſanguinem usque in venas propellunt.

Dilatatio & contractio arteriæ *pulſus* dicitur. Hæc pulſatio in truncis & ramis manifeſta eſt, in vaſis capillaribus autem, abſente inflammatione, pulſus nec percipi, nec microſcopio videri poteſt.

Usus arteriarum ergo est propulsio sanguinis in venas & in organa secretoria.

ACTIO VENARUM.

Sanguis, qui cordis & arteriarum contractione in venas pulsus est, refluit per illas ad cordis auriculas, & ex his in cordis ventriculos.

Vires, quæ sanguinis *refluxum* in venis adjuvant, sunt.

1. *Sanguinis arteriosi & arteriarum pressio in sanguinem venosum.*
2. *Contractio musculorum.*
3. *Pressio atmosphæræ.*
4. *Respiratio.*

Valvulæ venarum regressum sanguinis venosi in venis impediunt.

Usus venarum est reductio sanguinis & omnium humorum ad cor.

RESPIRATIO.

Aeris ingressus in pulmones *inspiratio*, & ejus egressus *exspiratio* vocatur.

Respiratio dividitur in *spontaneam*, quæ in somno atque insciis nobis peragitur, & in *voluntariam*, quæ voluntate hominis augeri vel minui potest.

Potentiæ quibus cavum thoracis & cavum aereum pulmonis, sub inspiratione dilatantur, sunt

1. *Musculorum intercostalium & diaphragmatis contractio*, quæ cavum thoracis dilatant.
2. *Aeris elastici pressio*, quæ pulmones expandit.

Potentiæ aerem e pulmonum cavo *expellentes* ſunt

1. *Ceſſans actio* muſculorum intercoſtalium & diaphragmatis.
2. *Elaſticitas cartilaginum coſtalium* remittente actione muſculorum intercoſtalium ſe reſtituens.
3. *Contractio muſculorum abdominalium.*

Cauſa ad inſpirandum *excitans*, eſt aeris elementum in pulmonum cavum irruens & nervos eorum irritans. Sic per conſenſum nervi diaphragmatis & muſculorum intercoſtalium ad contractionem coguntur.

Aer autem inſpiratus, ſuo elemento in pulmonibus privatus, ad ſtimulum ineptus evadit, hinc illico potentiæ inſpirantes ceſſant, & contingit exſpiratio.

Effectus inſpirationis ergo eſt.

1. *Vaſorum pulmonalium* ſerpentis adinſtar contortorum explicatio.
2. Hinc *facilior tranſitus* ſanguinis ex arteriis pulmonalibus in venas pulmonales & in cor.

Vſus primarius reſpirationis videtur eſſe *abſorptio elementi* cujusdam *aerei*, ex inſpirato aere, a quo principio abſorpto, liquidi nervei compoſitio & caloris generatio, fieri videtur.

Principium quod ex aere abſorbetur, eſt *aer igneus*, nam *aer fixus* ex inſpirato aere atmosphærico e pulmonibus redit.

Utilitates reſpirationis *ſecundariæ* ſunt

1. Chyli miſcela cum ſanguine.
2. Sanguinis attenuatio.

3. Sanguinis venosi, chyli, & lymphæ motus.
4. Materiæ perspirabilis expulsio ex pulmone.
5. Vox & loquela.
6. Deglutitio & suctio.
7. Olfactus.
8. Expulsio urinæ, fœcum, partus.

CALOR CORPORIS HUMANI.

Corpus vivum calet, mortuum friget.

Calor hominis sani, juxta thermometrum *Fahrenheitianum* ad 94. aut ad 100. gradum ascendit.

Nec in fervidissima febre 109. gradum *thr. Fahr.* superat.

In embrione minor est calor, ætate crescit, in senio decrescit.

Motu animali calor intenditur, quiete torpet.

Evolutio phlogisti videtur *causa proxima* caloris esse.

Materia caloris est phlogiston aere igneo combinatum; aer igneus absorbetur pulmonibus.

Non solum attritu humorum & solidarum partium, sed multiplici modo materia calorifica extricari potest, ut fermentatione, putredine &c.

Usus caloris est, ut omnes humores attenuentur, a frigore non coagulentur, sed fluidi serventur.

DE ACTIONIBUS ANIMALIBUS GENERATIM.

ACTIONES *animales* vocantur, quæ ope animæ peraguntur.

Huc pertinent.

1. *Sensus externi.*
2. —— *interni.*
3. *Actio musculorum voluntaria.*
4. *Vox & loquela.*
5. *Vigilia & somnus.*

ANIMA.

Est *ens*, quod intra nos cogitat & sentit.

Ens est incorporeum, incorruptibile & sui generis, oritur cum embrione, & deserit corpus momento, quo morimur.

Sedes animæ in medulla cerebri est, hæc sedes *Sensorium commune* vocatur.

Anima agit in corpus & corpus in animam

Instrumenta, quorum ope anima in corpus, & corpus in animam agit, sunt *nervi.*

Nervi dividuntur in 3. classes.

1. In *nervos motorios*, qui musculis voluntariis prospiciunt.
2. — —— *sensorios*, qui organa sensoria formant.
3. — —— *vitales*, qui in cor & vasa abeunt.

Per nervos motorios agit anima in muſculos voluntarios.

Per nervos ſenſorios agit corpus in animam.

In nervos autem vitales & eos, qui viſcera naturalia adeunt, anima nullam habet vim. Id *ganglia* nervorum vitalium impedire videntur.

Sed *violenti animi affectus* etiam ultra ganglia agere valent.

DE SENSATIONE GENERATIM.

Senſatio eſt perceptio alicujus rei, quæ nervos ſenſorios afficit.

Præter *pulpam nervorum* nulla pars in noſtro corpore ſentit.

Partes inſenſiles ſunt ideo, quæ nervos non habent ut *epidermis*, *oſſa*, *Cartilagines*, *perioſteum*, *tendines*, *aponevroſes*, *ligamenta*, *dura mater*, *cortex cerebri*, *pleura*, *peritoneum*, *membrana adipoſa*.

Partes obtuſe ſentientes ſunt, quæ paucos nervos habent, ut *medulla oſſium*, *glandulæ*, *vaſa*, *viſcera mere vaſculoſa*, *membrana celluloſa* in aliquibus locis.

Partes acute ſentientes, quæ multos nervos habent, ſunt *cutis*, *ventriculus*, *inteſtina*, *pulmonum ſuperficies aerea*, *veſica*, *uterus*, *urethra*, *renes*, & *omnes muſculi*.

Anima ſimul *plures*, quam unam ſenſationem diſtinguere non poteſt, hinc ſenſatio major minorem obſcurat: hinc duobus oculis unam imaginem, & duabus auribus unum percipimus ſonum.

Anima licet in cerebro ſedeat, tamen in *toto nervo* ſentit.

Quomodo autem anima ope nervorum ſentiat, & an in nervis ſenſoriis liquidum nerveum ſub ſenſatione ſurſum, & ſub motu muſculorum deorſum fluat, ignoratur.

Senſationes in *gratas*, in *ingratas* & in *adiaphoras* dividuntur.

Uſus. Ope ſenſationum 1. ſenſus interni & externi peraguntur. 2. Animi pathemata excitantur. 3. Senſationes doloroſæ de periculo monent, ad medelam quærendam cogunt.

DE SENSIBUS EXTERNIS GENERATIM.

Horum ſenſuum ſunt 5.

1. *Tactus.*
2. *Guſtus.*
3. *Olfactus.*
4. *Viſus.*
5. *Auditus.*

TACTUS.

Eſt ſenſatio, quam anima percipit, ſi corpus aliquod cutem præcipue in digitorum apicibus afficit.

Primarium ergo *organum* tactus ſunt *papillæ nerveæ*, quas cutis in apicibus digitorum habet.

Cutis dat nervis ſitum, *epidermis* nimiam ſenſationem moderatur, ſimulque ab exſiccatione aeris papillas defendit, & *ungues* apprimunt papillas objecto tangendo.

Usus. Ope tactus corporum nos ambientium 1. Mollitiem vel duritiem. 2. Calorem vel frigus. 3. Figuram. 4. Magnitudinem. 5. Distantiam. 6. Numerum. 7. Lævitatem vel asperitatem. 8. Pondus. 9. Motum vel quietem percipimus.

GUSTUS.

Est sensatio, qua corporum sapidorum percipimus sapores.

Organum primarium saporis sunt *papillæ nerveæ*, quæ in apice & marginibus linguæ inveniuntur.

Objectum saporis sunt omnia corpora, quæ salem vel aliud principium acre, saliva solvendum continent.

Genera saporum sunt sapor salsus, acidus, lixiviosus, urinosus, dulcis, amarus, acris, terreus, metallicus, rancidus, hinc simplex vel compositus, gratus, vel ingratus vel insipidus.

Diversitas saporis a diversa irritatione salium pendet.

Partes subsidiales gustus sunt.

Lingua, quæ papillis nerveis aptum situm dat, & sua mobilitate illas corporibus sapidis applicat.

Epidermis linguæ, quæ nimium saporem moderatur.

Saliva & mucus oris, quibus principium sapidum solvitur, corpora enim sapida non sapiunt, nisi soluta.

Usus 1. Gratia saporis allicimur ad ingerendum cibum, & potum. 2. Gratia saporis noxia a salutaribus distinguimus. 3. Varia medicamenta noscimus.

OLFACTUS.

Eſt ſenſatio, qua corporum odores percipimus.

Organum olfactus ſunt papillæ nervæ, quæ in membrana pituitaria narium diſtribuuntur.

Objectum odoratus ſunt omnia corpora, e quibus principium volatile, inſpiratione naribus attrahendum, exhalat.

Odorum *genera* ſunt: aromaticus, urinoſus, acidus, putridus, cadaveroſus, ſtercoraceus &c.

Adminicula odoratus ſunt,

1. *Membrana pituitaria*, quæ aptum ſitum papillis nerveis dat.
2. *Inſpiratio*, qua odores in nares attrahuntur.
3. *Piramidalis figura* narium, quæ odores concentrat, & retinet, ne in fauces avolent.
4. *Mucus* narium, quo papillæ nerveæ molles ſervantur.

Uſus. Olfactus recreat mentem, corrigit errores in guſtu committendos, docet vim noxiam & medicatam.

VISUS.

Eſt ſenſatio, qua corpora nos ambientia & eorum qualitates viſibiles percipimus.

Organum viſus eſt membrana retina nervi optici.

Objectum viſus ſunt radii lucis, a corpore lucido, vel illuminato emanantes, & per bulbum oculi in retinam incidentes.

Lux eſt materia ſubtiliſſima & ſolidiſſima, quæ vel a ſole, vel alio corpore lucido emanans, motu

rapidiſſimo, & in lineis rectis, quas *radios lucis* vocant, in noſtros oculos defertur.

Proprietates Lucis ſunt,

1. Radii corpora *opaca* non tranſeunt, ſed ab illis *reflectuntur*.
2. —— —— *pellucida* tranſeunt quidem, ſed in tranſitu refringuntur.
3. Corpora pellucida *convexa* radios tranſmiſſos retro ſe in *focum*, ſeu in lineas convergentes, coadunant.
4. Corpora pellucida *concava*, radios tranſmiſſos retro ſe magis diſpergunt, ſeu in lineas divergentes explicant.
5. Radii a corporibus coloratis reflexi in 7. radios coloratos diſſiliunt.

Viſus ergo fit dum,

1. Radii lucis, ab objecto viſibili emanantes, in *corneam pellucidam* & *convexam* oculi incurrunt, a cujus denſitate & convexitate in focum adunantur.
2. *Focus* radiorum tranſit *humorem aqueum* & *pupillam iridis*, atque in lente cryſtallina magis adhuc concentratur.
3. *Focus* ſic concentratus per *humorem vitreum*, vix mutatus, tranſit ad retinam, in qua
4. *Focus* imaginem objecti externi depingit, quæ menti per nervum opticum repræſentatur.

Partes viſus *ſubſidiales* ſunt,

1. *Supercilia* & *cilia*, quæ delabentem ſudorem ab oculo derivant.

2. *Palpebræ*, quæ corneam a ſordibus abſtergunt, & nimiam lucem excludunt.
3. *Lachrymæ*, quæ corneæ pellucidatem conſervant.
4. *Pupilla*, quæ in luce nimia conſtringitur, & in luce nimis pauca dilatatur.
4. Choroideæ *pigmentum nigrum*, quod focum viſorium ſuffocat, ne ultra retinam pergat.
6. *Muſculi bulbi*, qui bulbum objecto videndo obvertunt.

Utilitates viſus. Hujus ſenſus beneficio videmus objectorum nos ambientium 1. Præſentiam. 2. Magnitudinem. 3. Figuram. 4. Colorem. 5. Diſtantiam. 6. Numerum. 7. Motum vel quietem. 8. Situm.

AUDITUS.

Eſt ſenſatio, qua ſonum corporis ſonori percipimus.

Sonus eſt motus tremulus aeris, a percuſſione corporis ſonori excitatus; ſine aere enim non audimus.

Sola corpora elaſtica *ſonora* ſunt, ſi a corpore ſonoro percutiantur.

Sonus a puncto ſonoro lineis rectis, quas *radios ſonoros* vocant, ad enormem diſtantiam in atmoſphæra propagatur.

Radii *lucis* citius tamen, quam radii ſonori, atmoſphæram percurrunt.

Corpora *mollia* ſonum minuunt vel ſuffocant,
——— *elaſtica* illum augent.

Organum auditus eſt nervus auditorius mollis, cujus pulpa in veſtibulo, canalibus ſemicircularibus, & cochlea diſtribuitur.

Auditus ergo fit ſequenti modo

1. Radii ſonori a ſonante corpore emanantes, ad auriculam appelluntur. *Auricula* ſua *elaſticitate* ſonum auget, & ſua *figura eliptica* radios ſonoros in *focum* quaſi unit, qui per meatum auditorum externum ad membranam Tympani dirigitur, & hanc contremiſcere facit.
2. *Tympanum* tremens ſuos tremores *malleo* ſibi adnexo, malleus *incudi*, incus *oſſi orbiculari*, hoc *ſtapedi* communicat. Stapes *feneſtræ ovali* adhærens, hanc tremere cogit.
3. *Feneſtra ovalis* tremens communicat ſuos tremores *aquæ auditoriæ* in veſtibulo & canalibus ſemicircularibus contentæ.
4. *Aqua auditoria* leviter tremens minimas facit in *pulpa nervea*, quæ in veſtibulo in canalibus ſemicircularibus expanſa eſt, motiones; hæ per *liquidum nerveum* nervi auditorii ad *ſenſorium commune* cerebri deferuntur.

Præterea tympanum tremens non ſolum oſſicula *auditus*, ſed ſimul etiam aerem in cavitate tympani contentum contremiſcere cogit, hinc

5. *Aer tympani* tremens, facit tremere laminam, quæ *feneſtram rotundam cochleæ* obducit.
6. *Lamina feneſtræ rotundæ* tremens, cogit tremere aquam, quæ cochleæ cavitatem replet.
7. *Aqua cochleæ* tremens, ſuo tremore afficit pulpam auditorii, quæ in cavitate cochleæ eſt.

Anima demum judicat de ſoni *præſentia* & ejus *diverſitate*.

Diſcrimina

Discrimina sonorum sunt sonus *gravis*, *acutus*, *intensus*, *debilis*, *gratus*, *ingratus*, *harmonicus*, *disharmonicus*,

Gravitas & *acuties* soni pendent a vibrationum numero eodem tempore dato.

Utilitas auditus.

1. Loquelam, linguas & scientiam boni & mali solo auditu addiscimus.
2. Musica & cantu delectamur.
3. Strepitu de rebus, quas non videmus, monemur.
4. Auditu alius hominis ideas percipimus.

DE SENSIBUS INTERNIS.

Sensus interni sunt *ideæ*, quas sibi anima format.

Ideæ autem sunt perceptiones rerum in mente.

Oriuntur ideæ.

1. a *Sensibus externis.*
2. a *Causa interna* sensorium commune afficiente.
3. vel sua sponte *a mente* excitatæ.

Causa proxima idearum videtur esse liquidi nervei *motus* in quodam sensorii communis loco.

Anima, non cerebrum cogitat.

Sunt autem sensuum internorum quinque

1. *Memoria* ideas jam olim habitas repræsentat.
2. *Imaginatio* objectum absens sistit præsens.
3. *Conscientia* nos attentos & conscios idearum & sensationum reddit.
4. *Animi pathemata* odium vel amorem, seu voluntatem aut noluntatem rei pariunt.

5. *Ratiocinium* plures inter ſe comparat ideas, ut ſimilia a diſſimilibus, vera a falſis, bona a malis diſcernat.

Uſus. Excellentia ſenſuum internorum homo a bruto differt.

DE IRRITABILITATE.

Irritabilitas eſt vis, omni fibræ muſculari innata, qua hæc a ſtimulo ſe contrahit.

Cauſa irritabilitatis non eſt nota, neque ab elaſticitate, nec ab anima, nec a nervis ſolum pendet, ſed fibris muſcularibus inſita eſt.

Partes noſtri corporis, quæ fibras muſculares habent, *irritabiles* vocantur, ut cor, arteriæ & venæ. Omnes muſculi, diaphragma, ventriculus & inteſtina. Veſica urinaria, uterus, vagina, viæ lacteæ.

Partes, quæ fibras muſculares non habent, etiam irritabiles non ſunt, ut nervi, integumenta communia, membranæ omnes non muſculoſæ.

Cor eſt pars irritabiliſſima, dein ventriculus & inteſtina, tandem diaphragma, & ceteri muſculi in ſcala irritabilitatis ſequuntur.

Diverſus eſt quoque irritabilitatis *gradus* quoad ætatem, ſexum, temperamentum, vitæ genus, clima, ſtatum ſanitatis, idioſyncraſiam, & naturam animalis.

Etiam *ſtimulus* admodum differt, quoad partem, cui applicatur, & quoad indolem, quam habet.

Usus irritabilitatis,

1. Ab ea pendet motus omnium musculorum voluntariorum & involuntariorum.
2. Actio cordis & vasorum.
3. Motus peristalticus ventriculi & intestinorum.

ACTIO MUSCULORUM.

Actio musculi consistit in *contractione*, & *relaxatione* fibrarum carnearum.

Causa *disponens* ad motum, est irritabilitas fibrarum muscularium.

Causa *excitans* ad contractionem, est *influxus liquidi nervei* ab animæ voluntate impulsi.

Id musculi nervorum *irritatio* & nervi *ligatura* docent.

Cessat musculi contractio, si nerveus influxus, & animæ voluntas desinit.

Tunc fibrarum contractarum *relaxatio* sequitur.

Motus musculorum dividitur.

1. In *voluntarium*, quem animæ voluntas excitat, &
2. In *involuntarium*, in quem animæ vis agere non valet, ut in cor, vasa, ventriculum, & intestina.
3. In *mixtum*, qui cum & sine animæ voluntate peragitur, ut respiratio.

Musculorum *voluntariorum* causa excitans est vis animæ.

——————— *involuntariorum* causa excitans est stimulus peculiaris.

Cor & *vasa* ab influxu sanguinis. *Ventriculus* & *intestina* ab ingestis & a bile, *vesica urinaria* ab urina, *musculi inspiratorii* ab aere inspirato ad motum irritantur.

Utilitates motuum muscularium sunt,

1. Actio omnium membrorum, & partium mobilium totius corporis.
2. Locomotio corporis, ut ingressus.
3. Sanguinis venosi motus acceleratio.
4. Sanguinis, chylique attenuatio.
5. Humorum secretio multum adjuvatur.

VOX.

Vox est sonus aeris ex rima laryngis erumpens.

Objectum vocis aer tremens ergo est: nam aer sub exspiratione laryngem percutiens, hanc tremere, & hæc vicissim aerem tremere facit.

Organum vocis est larynx, præsertim ejus rima.

Acuties & *gravitas* vocis pendet a majori, vel minori diametro rimæ laryngeæ, vel ipsius laryngis amplitudine, elasticitate, mobilitate, lubricitate, & vi exspirationis.

Susurrus est aer absque tremore ex larynge exiens.

Utilitas vocis est pro loquela, & cantu.

LOQUELA.

Loquela est vox in cavo narium, faucium, oris vel labiorum varie flexa.

Omnis loquela consistit in pronuntiatione litterarum; hæ in vocales & consonantes distinguntur.

Vocales ſunt litteræ, quæ voce unice per os expreſſa, absque linguæ adliſione ad ullam partem oris pronuntiantur.

Conſonantes vero fiunt a linguæ adliſione ad aliquam partem oris, labia, dentesve.

Litteræ ergo diſtinguuntur in orales, naſales, gutturales, linguales, dentales, labiales, palatinas, & compoſitas, ut orenaſales &c. ſunt.

Species loquelæ eſt *cantus*, qui vox per varios gradus acutiei & gravitatis modulata, ex tremente & ſuſpenſa larynge, dicitur.

Utilitas loquelæ. Soli homini inter animalia loquela data eſt, ut

1. Homo homini ſuas ideas & ſenſationes communicare poſſit.
2. Ut homo artes neceſſarias, linguas, ſcientiasque addiſcere, & eas alios homines docere poſſit.
3. Ut cantu ſe ipſum & alios recreare poſſit.

VIGILIA.

Aptitudo, actiones animales, nempe ſenſus & motus voluntarios muſculorum libere exercendi, *vigilia* vocatur.

Cauſa proxima vigiliæ eſt fluxus liquidi nervei abundantis, & facile meabilis per cerebri & nervorum medullam, qui ad organa ſenſuum & muſculos voluntarios abeunt.

Cauſæ remotæ hujus influxus ſunt irritatio quæcunque ſenſuum externorum vel internorum.

SOMNUS.

Eſt ſtatus corporis, in quo ineptitudo exercendi ſenſus internos, externos & motus voluntarios adeſt.

Cauſa proxima ſomni ergo, eſt aliquantum deficiens vel lentior fluxus liquidi nervei per cerebri & nervorum medullam, qui ad organa ſenſuum & muſculos voluntarios abeunt.

Cauſæ remotæ ſomnum *naturalem* inducentes, ſunt vigiliæ protractæ, & labor, quibus liquidum nerveum exhalando multum conſumitur. Et

Defectus *irritationis*, ut quies animi, & ſenſuum, præſertim in loco tenebricoſo.

Renata per ſomnum copia liquidi nervei aut irritatio quæcunque, eſt cauſa naturalis redeuntis vigiliæ.

Phænomena *ingruentis ſomni* ſunt; muſculi corpus erectum tenentes debiles evadunt, oculi palpebræ clauduntur, & maxilla inferior pendet, caput antrorſum nutat, oſcitatio ingruit, objecta externa vix nos afficiunt. Denique turbantur ideæ, tandem deſinunt, & ſomnus adeſt.

Inſomnia ſunt ſomni imperfecti ſtatus, in quo quædam ſenſorii communis pars irritari, hinc vigilare videtur.

Fortis idea; & irritatio ventriculi a cibis, ſtimulus alvi vel urinæ, ſitus minus opportunus inſomnia faciunt, quæ in ſomno ſano non obſervantur.

Ratio cur actio cordis, vaſorum, reſpiratio & motus ventriculi, atque inteſtinorum tempore ſomni perpetuo pergant, eſt ingens harum partium ir-

ritabilitas, ingens gangliorum & nervorum copia, atque ſtimulorum perpetua actio in has partes.

Utilitas ſomni.

1. Quies *actionum animalium*, nempe ſenſuum & motuum voluntariorum.
2. Moderamen *actionum vitalium*, unde minor corporis deſtructio.
3. Perfectius exercitium *actionum naturalium*; ut digeſtionum, ſecretionum & nutritionis.
4. Renata per ſomnum copia liquidi nervei, quæ ad omnes actiones requiritur.

DE ACTIONIBUS NATURALIBUS GENERATIM.

ACTIONES, quibus corpus noſtrum conſervatur, ne pereat, vocantur *naturales*. Huc referuntur.

FAMES.

Eſt ſenſatio aſſumendi cibos.

Sedes hujus ſenſationis eſt in ventriculo.

Cauſa videtur eſſe affrictus rugarum ventriculi vacui & irritatio ventriculi vacui a ſucco gaſtrico.

Effectus diu toleratæ famis ſunt acrimonia acerrima humorum, unde animi deliquia, dolores acer-

rimi ventriculi, oris fœtor, dentium vacillatio, convulſiones, febris acuta, deliria & rabies.

Utilitas. Cogit fames hominem ut alimenta ingerat.

SITIS.

Eſt ſenſatio aſſumendi potum.

Sedes hujus ſenſationis in faucibus vel in ventriculo eſſe videtur.

Cauſa eſt faucium *ſiccitas* vel *acrimonia* in *ventriculo.*

Effectus diu toleratæ ſitis eſt humorum *ſpiſſitudo* & *acrimonia.*

Uſus. Cogit ad ingerenda liquida, quibus humores diluuntur.

MASTICATIO.

Eſt ciborum comminutio inter dentes.

Organum hujus actionis ſunt maxillæ dentatæ, lingua, buccæ & labia.

Potentiæ hoc organum moventes ſunt,

1. *Muſculi*, qui maxillam inferiorem a ſuperiori deducunt, & iterum adducunt.
2. *Lingua*, quæ cibos dentibus perpetuo interponit.
3. *Buccæ & labia*, quæ impediunt ne cibi maſticati extra dentes cadant.

Effectus maſticationis ſunt,

1. Ciborum *morſus*, *laceratio*, *comminutio.*
2. *Affuſio ſalivæ*, quæ cibos diluit — reſolvit — fermentationem excitat — cibos in bolum pro deglutitione compingit — humectando fauces ſitim exſtinguit.

3. *Admixtio muci oris & faucium*, qui cibos masticatos in bolum pro deglutitione conglutinat — viam pro deglutitione lubricat — aerem cum cibis intricatum in bolo retinet — oleosa cum aquosis miscet.

4. *Admixtio aeris atmosphærici*, qui sub masticatione cum cibis intricatus fermentationem adjuvat.

Usus. Masticatio est incipiens *digestio* & actio necessaria ad deglutitionem & ad digestionem ciborum in ventriculo.

DEGLUTITIO.

Est boli masticati delatio ex oris cavo,

1. In cavum *faucium*.
2. Ex eo in *æsophagum*.
3. Ex œsophago in *ventriculum*.

Potentiæ, quæ bolum ex oris cavo in cavum faucium deprimunt, sunt

1. *Clausura maxillarum*, ne cibi ex oris cavo elabantur.
2. *Appressio linguæ ad palatum*, qua bolus, linguæ dorso incumbens, ad *cavum faucium* premitur.
3. *Dilatatio pharyngis*, quæ bolo viam facit, ut illabi possit.

Dilatatur pharynx non solum suis musculis dilatatoriis, sed etiam, quia linguæ radix, os hyoides & larynx antrorsum & deorsum a suis musculis sub deglutitione trahuntur.

Potentiæ, quæ impediunt ne bolus deglutiendus e cavo faucium in *postica foramina narium* vel
— *orificia tubarum Eustachianarum*, aut
— *rimam laryngis* illabatur, sunt

1. *Epiglottis*, quæ a bolo deglutiendo rimæ laryngis apprimitur.
2. *Musculi*, qui rimæ laryngeæ partem posteriorem contrahunt.
3. *Musculi*, qui *uvulam* & *velum pendulum* versus postica foramina narium elevant.
4. *Musculi*, qui orificia tubarum obturant.

Bolus in cavo pharyngis dilatatæ hærens, ex eo in *cavum æsophagi* defertur.

1. Proprio *pondere*, quo deorsum cadit.
2. *Vi premente pharyngis*, se contrahentis ab irritatione boli in ejus cavum illabentis.

Bolus e cavo œsophagi in *ventriculi cavum* premitur vi & actione fibrarum muscularium œsophagi.

Peracta deglutitione *cardia ventriculi* suis fibris se claudit.

Phænomena, quæ in *assumptione liquidorum* observantur, sunt sequentia,

1. Vas liquido plenum *labio inferiori* apprimitur, & caput retroflectitur.
2. *Labium superius* fluido imergitur, ut aer atmosphæræ ab oris cavo arceatur.
3. *Linguæ* dorso liquidum ex vase affunditur.
4. Liquidum, linguæ affusum, ab ea palato applicata retropremitur versus cavum faucium.

5. Fluidum in fauces preſſum, in exſtantem *epiglottidem* incurrens, in duos funditur rivulos, quorum ſingulus ad latera laryngis rimam præterfluens, in faucibus denuo confluens facile ruit in œſophagum, cujus actione in ventriculum defertur.

Uſus deglutitionis eſt delatio ciborum in ventriculum pro digeſtione.

DIGESTIO CIBORUM IN VENTRICULO.

Digeſtio eſt ciborum mutatio in *chymum*, quæ cibis in ventriculo contingit.

Inſtrumenta, quæ cibos in chymum mutant, ſunt 6.

1. *Calor humidus* ventriculi, qui cibos emollit, & macerat.
2. *Aer deglutitus* & qui cibis *intricatus* eſt, calore expanſus particulas ciborum expandit, & maſſam ciborum rarefacit.
3. *Saliva* perpetuo deglutita, & *ſuccus gaſtricus* ab arteriis exhalantibus ventriculi ſecretus, cibos perpetuo diluunt, emolliunt, ſolvunt.
4. *Mucus* oris deglutitus & *mucus* a glandulis ventriculi ſecretus oleoſam ingeſtorum partem, cum aquoſa parte ſucci gaſtrici & ſalivalis unit.
5. *Motus periſtalticus ventriculi*, quo cibi perpetuo commiſcentur, & moventur.
6. *Motus præli abdominalis*, quod diaphragma & muſculi abdominales formant, quo cibi perpetuo aliquantum conteruntur.

7. *Spontanea fermentatio ciborum*, quæ a ſaliva, ſucco gaſtrico, calore & aere excitatur.

Ex his ergo liquet digeſtionem ſeu mutationem ciborum in chymum peragi

1. *Trituratione*.
2. *Solutione*.
3. *Fermentatione*.

Effectus digeſtionis ergo eſt mutatio ciborum in *chymum* ſeu pulticulam fermentantem, gryſeam, nauſeoſi odoris & ſaporis.

Hujus pulticulæ pars tenuior perpetuo ex ventriculo per pylorum in inteſtinum duodenum expellitur

1. Suo *pondere*.
2. *Motu periſtaltico* ſe contrahentis ventriculi &
3. *Motu præli abdominalis*.

Pars autem craſſior, indiſſolubilior diutius retinetur.

Cibi, qui his adminiculis mutari non poſſunt, ſunt *indigeſtibiles*, ut tenaces membranæ, oſſa, pelliculæ leguminoſæ, & quorundam fructuum. Hæc immutata expelluntur.

Uſus digeſtionis eſt incepta mutatio ciborum in chylum.

CHYLIFICATIO.

Eſt mutatio chymi in chylum.

Organum, in quo chylificatio peragitur, ſunt inteſtine tenuia.

Cauſæ, quæ chymum in *chylum* mutant, ſunt

1. *Continua* contritio chymi ope motus periſtaltici & antiperiſtaltici inteſtinorum & ope præli abdominalis.

2. *Copiosa* chymi *dilutio* per salivam, succum gastricum, succum entericum, & pancreaticum.

3. Validius *excitata fermentatio chylosa* per calorem intestinalem, aerem & affusos mox nominatos humores.

4. *Bilis cystica & hepatica* chymo affusa, qua oleum cum muco ventriculi digestione unitum, ex chymo extricatur, quod cum succis secretis unitum *chylum* constituit.

Effectus chylificationis sunt, ut chymi color, sapor, & odor mutetur in humorem album, subdulcem, acescentem & inodorum, lacti similem.

Chylificatio *citius* quam chymificatio peragitur, utrumque intra tres horas finitur.

Usus chylificationis est productio chyli.

TRANSITUS CHYLI IN SANGUINEM.

Peracta chylificatione absorbetur chylus in vasa lactea, & pars chymi, quæ in chylum mutari non potest, sub nomine fœcum in intestina crassa propellitur.

Pars autem humorum in primas vias secretorum sine chylo per *venas mesaraicas* ad hepar pergit.

Vires chylum in vasa lactea propellentes sunt,

1. *Vis absorbens* vasorum lacteorum.

2. —— *adhærens* chyli ad oscula horum vasorum.

3. *Motus peristalticus* intestinorum, & *motus* præli abdominalis, quibus intestinorum interna superficies contrahitur, & chylo se immergit.

Maxima chyli *absorptio* in intestino jejuno & ileo contingit, pauca in duodeno & intestinis crassis.

Iter chyli ex intestinis est,

1. In *vasa lactea*, ex illis,
2. — *receptaculum chyli* & ex eo
3. *Per ductum thoracicum* in *venam subclaviam sinistram* cui guttatim influit.

Vires chylum moventes per vias lacteas sunt

1. *Pressio* vasorum lacteorum a contractione præli abdominalis.
2. *Pulsatio* arteriarum mesaraicarum vasis lacteis contiguarum.
3. *Contractilitas* valida venarum lactearum, & ductus thoracici; nec non *vis* premens a tergo propulsi chyli.
4. *Respirationis* organorum *motus*.

Retrogressus chyli versus intestina, vel in ductu thoracico impeditur.

1. *A valvulis* copiosis vasorum lacteorum & ductus thoracici.
2. *A diametro* vasorum lacteorum perpetuo increscente.
3. A vi chyli *a tergo* influentis.

Tempore, quo chylus absens est, humores in primas vias secreti transeunt vias chyliferas,

Ingressus sanguinis venæ subclaviæ in ductum thoracum impeditur a valvula, quæ in ostio hujus ductus est.

Mutationem chyli in itinere ad ſanguinem faciunt.

1. *Dilutio* major chyli a lympha vaſorum lymphaticorum, quæ ſe ex toto fere corpore in receptaculum & ductum thoracicum evacuant.
2. *Impregnatio* chyli cum gelatina nutriente, quam glandulæ meſaraicæ & vaſa lymphatica admiſcent.
3. Hinc major *animaliſatio* chyli, qua ejus cruditas, immutatur.

Utilitates chyli.

1. Ope chyli ſangiuni advehuntur *principia conſtitutiva*, ex quibus ſanguis & reliqui humores atque partes ſolidæ conſtant. Nempe *plurima aqua, oleum, ſalia, gelatina, mucus, aer fixus* & pauca *terræ* portio.
2. Ope chyli recentis & aceſcentis ad ſanguinem affuſi putredo ſanguinis & aliorum humorum arcetur.

SANGUIFICATIO.

Eſt mutatio chyli in ſanguinem.

Chylus ſanguini mixtus ad 12. horas ſuam naturam integre non deponit, ſed intra hoc tempus cum ſanguine 120^{ties} per vaſa pulmonum & totius corporis trajicitur.

In hoc itinere.

1. *Adeps* chyli partim in *celluloſam* deponitur, partim in *globulos rubros* mutari videtur.
2. *Gelatinoſa* chyli pars in *ſerum* ſanguinis abit.
3. *Aquoſa* chyli pars ſanguinem omnesque humores diluit.

4. *Terrea* chyli *pars* in nutrimentum ossium & partium solidarum consumitur.

Sanguificatio exigit, ut globuli chylosi, qui albi, leviores & majores globulis sanguineis sunt, fiant *rubri*, *densiores*, *graviores* & *minores*.

Rubor videtur fieri, si globuli chylosi cum terra martiali & alcali fixo in vasis rubris pulmonis & musculorum per longum attritum misceantur.

Densitas major globuli chylosi a longa & repetita *compressione* in vasis minimis oritur.

Gravitas major a densitate & admixta terra martiali est.

Diminutio voluminis ab *attritu* globulorum chyli & *compressione* eorum in vasis minimis pendere videtur.

Usus sanguificationis est generatio sanguinis, qui vasorum sanguineorum impletioni, cordis & arteriarum irritationi, generando calori, secretioni humorum & vitalium actionum exercitio inservit.

NUTRITIO INCREMENTUM ET DECREMENTUM CORPORIS.

Nutritio est *appositio* succi nutrititii ad loca detrita partium solidarum.

Solidæ nostri corporis partes per vitæ actiones perpetuo deteruntur, & *fluida* nostri corporis perpetuo ex corpore eliminantur.

Causæ, quæ *solida* deterunt, sunt.

1. *Motus* violentus *humorum* per *vasa majora* & *minora*, quo interna eorum superficies deteritur.

2.

2. *Motus* perpetuus *musculorum*, qui telam cellulosam, & vasa perpetuo deterit.

3. *Motus* perpetuus omnium *viscerum.*

4. *Affrictus vestimentorum* & *aeris* corpus allambentis.

5. Demum *pili* & *ungues* sæpius abscinduntur.

Hisce causis *elementa terrea* fibrarum & *gluten*, hæcce nectens, destruitur, deteritur, liquidis præterfluentibus miscetur & demum cum succis excrementitiis evacuatur.

Causæ, quæ *fluida* cum solidis detritis dissipant & e corpore eliminant, sunt.

1. *Transpiratio* & *sudor.*

2. *Urina.*

3. *Fœces alvinæ.*

4. *Sputum* & narium *mucus.*

5. *Menstrua*, subinde & *semen.*

Hisce evacuationibus humores suo vehiculo aqueo privantur, hinc crassi, putridi, & acres evadunt.

Hinc nisi quantitas & qualitas eorum, quæ quotidie amittuntur, per nutritionem quotidie restituatur, brevi machina nostra *periret*, ut fames diu tolerata docet.

Partes autem, quæ amissæ fuere, sunt solidæ & fluidæ; hinc datur.

Nutritio solidorum &

Nutritio fluidorum.

Nutritio ſeu *reparatio fluidorum* facile reſarcitur.

1. Pars chyli *butyracea* cum terra martiali unita *cruorem* conſtituit.

2. Pars *aquoſa* chyli aqueum ſanguinis & *ſeri* vehiculum format.

3. Pars vero *plaſtica* chyli, quæ maxime nutriens eſt, in *gelatinam* ſeri & lymphæ tranſit.

4. Pars denique *oleoſa* in chylo ſuperabundans, quæ cum terra martiali uniri non poteſt, in telam celluloſam ſecedit & *adipem* corporis auget vel reſtituit.

5. Cum chylus præterea *terram elementarem*, *aerem fixum* atque *ſalia* omnis generis contineat, hinc facile pro omnibus humoribus ſecretis adfert ſanguinis maſſæ *principia conſtitutiva.*

Reparatio autem *fibrarum* exigit appoſitionem detritæ *terræ* & *glutinis elementaris.* Pars chyli *caſeoſa* oſſibus reddit *terram* & chyli pars *oleoſa* ope *aeris fixi* cum *aqua* conjungitur, & format *gluten fibrarum.*

Succus nutritius ergo partium ſolidarum videtur gluten, terra plus minus imprægnatum, eſſe. Pro oſſibus valde terreus, pro partibus molliſſimis vix terreus requiritur.

An ſucci nutritii terra & glutem vi attractionis in lacunes detritas attrahantur, vel an vi alia nutritio fiat non conſtat.

Cum omnes noſtri corporis humores, ſolis excrementitiis, nempe urina, materia tranſpirabili & fœ-

ce alvina exceptis, gelatina ſeu ſucco nutritio impræ̃gnati ſint, & fibris omnium partium interponantur, hinc patet omne punctum corporis ſucco nutritio eſſe perpetuo præditum.

Partes quædam, ut *ungues* & *pili* in radice per appoſitionem ſucci nutritii nutriuntur, quod nutritio per *protruſionem* vocatur.

INCREMENTUM CORPORIS.

Quo homo ſuæ origini eſt propior, eo celerius increſcit. Sic embrio ex inviſibili molecula ſpatio 9. menſium ad pondus 8. librarum excreſcit.

Poſt partum incrementum corporis durat ad annum 21. at perpetuo lentius fit. Fæminæ citius quam mares incrementi finem attingunt.

Cauſæ, quæ incrementum corporis in embrione & infante adeo accelerant, ſunt:

1. Laxitas ſeu facilior extenſilitas omnium vaſorum.
2. Plurimarum partium vaſa nondum evoluta.
3. Majus cordis volumen & robur. Nec non cordis & arteriarum major irritabilitas.
4. Celerior & validior humorum motus.
5. Victus mollis, copioſus & nutriens. Hinc abundantia humorum gelatinoſorum.
6. Oſſium extrema adhuc cartilaginea & extenſilia.

Cauſæ, quæ incremento finem imponunt, ſunt.

1. Omnium vaſorum evolutio.

2. Omnium vaſorum nactum robur extenſioni ulteriori reſiſtens.

3. Cruſtarum cartilaginearum tanta extenuatio, ut oſſibus amplius cedere nequeant.

4. Victus craſſior, quo ſuccus nutritius magis terreus in fibrarum interſtitia deponitur. Hinc omnium fibrarum majus robur.

5. Cordis incrementum aliis partibus minus, & irritabilitas diminuta, hinc motus humorum minor & debilior.

Menſes in fæminis celeriorem incrementi finem imponere videntur.

Status incrementi adeſſe dicitur, quando corpus neque increſcit, neque manifeſte decreſcit.

Poſt annum 30. corporis *obeſitas* naſcitur in aliquibus hominibus, quæ ab adipis abundantia in telam celluloſam depoſita oritur.

DECREMENTUM CORPORIS.

Cauſæ, cur corpus in ſenectute iterum decreſcat, ſunt

1. Omnes fibræ ſenſim adeo ſucco nutritio terreo indurantur, ut ſenſim rigidæ & exſuccæ evadant.

2. Vaſa minora a majoribus dilatatis compreſſa, ſenſim concreſcunt.

3. A plurimis vaſis lacteis conſolidatis minor chyli copia ſanguinem ingreditur.

4. Humores ob imminutas excretiones, acres & terrei fiunt, hinc.

5. Omnes actiones naturales, quæ ſuccum nutritium elaborant, depravantur.

Ex his ergo patet: cur corpus in juventute increſcat, in adulta ætate perſiſtat, in ſenio decreſcat, nempe.

In *juventute* plus ſucci nutritii fibris interponitur, quam deperditum eſt, unde *corporis incrementum*; in *ſenectute* minus, unde *corporis decrementum*; in *vigore* ætatis tantum, quantum deperditum eſt, quotidie reſtituitur, unde *acme*, ſeu *ſtatus incrementi* obſervatur.

Uſus nutritionis eſt ergo.

1. *conſervatio* noſtri corporis, quod deficiente nutritione exſuccum & detritum brevi periret.
2. Demum affuſione novi chyli temperatur humorum alcaleſcentia & putriditas, quæ ab inedia oritur.
3. Tandem incitatur & roboratur totum corpus, quod ex inedia languet.
4. In juventute nutritione copioſiore increſcit corpus.

SECRETIO HUMORUM.

Secretio eſt ſeparatio ſeu ſeceſſus alicujus humoris a ſanguine.

Organa ſecretoria ſunt *extremitates arteriarum* & *pori laterales* vaſorum.

Omnes ſecretiones ab arteriis peraguntur, ſola *bilis* a vena, ſed arterioſa facta, ſecernitur.

Maſſa ſecretionis per arterias fluens *ſanguis* eſt, ab eo enim omnes humores ſecreti ſecernuntur.

Sanguis omnium humorum ſecretorum *principia conſtitutiva* continet, nempe *aquam*, *gelatinam*, *oleum*, *ſalem*, *terram*.

Humores a ſanguine *ſecreti* dividuntur in 4. *Claſſes*.

1. *Humores aquoſi* ſunt, qui acore minerali non coagulantur, ut materia *perſpirabilis*, *humor aqueus oculi*, *lachrymæ*, *ſaliva*, *ſuccus pancreaticus & urina*.

2. *Humores gelatinoſi* ſunt humores tenues, qui acore minerali coagulantur, ut *vapor ventriculorum cerebri*, *pericardii*, *pleuræ*, *peritonei*, *tunicæ vaginalis teſticuli*, *liquor amnii*, *articulationum*, *glandularum lymphaticarum*, *gaſtricus*, *entericus*, *uteri*, *lympha vaſorum lymphaticorum*, *vaginarum nervearum*, *albumen ovi*.

3. *Humores mucoſi* vocantur humores viſcidi, qui ab acore minerali non coagulantur, ſed ſolummodo in fila contrahuntur, huc pertinet *mucus viæ aereæ*, *faucium*, *primarum viarum*, *viæ urinariæ & vaginæ muliebris*.

4. *Humores pingues* vocantur humores, qui exſiccati ad ignem flammam concipiunt, ut *oleum membranæ adipoſæ*, *bilis*, *cerumen aurium*, *medulla oſſium*, *lac*, *vitellus ovi*.

Cauſa proxima ſecretionis. Conſtanti lege ſunt vaſa ſecretoria anguſtiora, quam arteriæ, e quibus hæc vaſa oriuntur, & venæ in quas arteriæ deſinunt, hinc omnes humores ſecreti, nec muco nec ſemine exceptis, ſunt ſanguine *tenuiores*, nempe ſtatim poſt ſecretionem.

Diverſitas ſecretionis pendet *a diverſa indole* humorum, qui organo ſecretorio adducuntur, & a *diverſa figura pororum & arteriarum ſecernentium.* Ideo *vaſorum ſecernentium extremitates* ſtellatæ, penicillatæ, tortuoſæ &c. inveniuntur.

Organa ſuccos ſecretos *præparantia* ſunt.

1. *Glandulæ folliculoſæ*, in quibus ſucci ſecreti ſtagnando aliquantum ſpiſſiores evadunt, ut *mucus*, ſebum *glandularum.*

2. *Receptacula*, quæ aliquamdiu humores ſecretos retinent, ut bilem veſicula fellis, ut *ſemen* veſiculæ ſeminales.

3. *Vaſa abſorbentia horum receptaculorum*, quæ partem tenuiorem a liquidis contentis aufferunt.

4. An non etiam *fermentatio peculiaris* in aliquibus ſaltem humoribus ſecretis in receptaculis contingit?

Vis humores ſecernendos e ſuis vaſis ſecretoriis expellens, eſt humorum a tergo motorum impetus.

Vis humores jam ſecretos e ſuis receptaculis expellens, eſt.

1. *Contractio fibrarum muſcularium* receptaculi continentis, ut in veſica urinaria & veſiculis ſeminalibus obſervatur.

2. *Muſculi adjacentes*, ſic ſaliva a muſculis maxillarum, *ſemen* ab acceleratoribus, *bilis* a turgente ventriculo & *ſuccus pancreaticus* a prælo abdominali expellitur.

3. *Stimulus* humoris ſecreti, qui ſua abundantia, pondere vel acritate receptaculum ad contractionem irritat.

Hæc ſufficiant de ſecretione *generatim*, de ſecretione autem *ſinguli* cujuslibet humoris, vide *Doctrinam de humoribus*.

EXCRETIO HUMORUM.

Eſt humorum eliminatio ex corpore.

Humores excrementitii ſunt *materia perſpirabilis*, *urina & fœces*.

His excretionibus natura ſe liberat ab humoribus nocituris & inutilibus.

EXPULSIO FOECUM.

Eſt fœcis eliminatio ex ano.

Fœx eſt alimentorum, potulentorum & humorum in inteſtina confluentium pars, quæ in chylum mutari & oſculis vaſorum lacteorum aut venarum meſaraicarum abſorberi non potuit.

Hæc maſſa in inteſtinis craſſis *fœtorem* peculiarem a fermentatione ſtercoracea contrahit. Propellitur motu periſtaltico inteſtinorum craſſorum & motu muſculorum abdominalium atque diaphragmatis in cavum inteſtini recti.

Inteſtinum rectum a mole, vel quod rarius acrimonia fœcis irritatum, *teneſmum* ad emittendas fœces excitat.

Hoc *ſtimulo* relaxant ſe ſphincteres ani, ſimulque ſe contrahunt fibræ inteſtini recti; ſic fœx deorſum per apertum anum protruditur.

Expulſionem ſimul juvat contractio ſphincteris interni & levatores ani, nec non prælum abdominale.

Sic fœx electuarii inſtar mollis ad 4 vel 5 uncias eliminatur, & per rotundam & arctam ani aperturam exiens, in *cylindrum* figuratur.

Simul ac omnis fœx dejecta eſt, ceſſat teneſmus & actio præli abdominalis.

Anus iterum contrahitur per ſuos ſphincteres & levatores.

Uſus. Sic liberatur corpus a fœce, corpori nocitura, & putredine infectura, ſi non eliminaretur.

SECRETIO URINÆ.

Eſt urinæ ſeparatio a ſanguine.

Organum ſecernens ſunt extremitates arteriarum renalium, quæ in renum ſubſtantia in tubulos renales hiant.

Urina ex tubulis renalibus in papillas renales, ex iis in pelvim renalem, & ex eo per uretheres in veſicam urinariam guttatim defluit.

Urina aliquot horis retinetur in veſica per naturalem contractionem cervicis veſicæ.

Urina diu collecta, ſua mole vel ſua acrimonia teneſmum ad emittendum excitat. Hoc ſtimulo relaxatur cervix veſicæ & contrahitur tunica muſcularis ejusdem, ſic urina propellitur per urethram.

Expulſionem juvat contractio lenis muſculorum abdominalium & diaphragmatis. In Viris ultimæ guttæ urinæ projiciuntur ex urethra contractione muſculorum acceleratorum, qui urethram premunt.

Mucus, qui internam veſicæ & urethræ ſuperficiem illinit, illam ab urinæ acrimonia defendit.

Uſus. Mictio liberat ſanguinem a ſuperflua aqua, a ſalibus, detrita a ſolidis terra & corrupto oleo, aliisque inutilibus humoribus.

TRANSPIRATIO.

Eſt vaporis inſenſibilis exhalatio.

Dividitur 1. in *tranſpirationem cutaneam*, quæ ex tota externa ſuperficie corporis

2. — ——————— *pulmonalem*, quæ ex pulmonum ſuperficie aerea

3. — ——————— *internam*, quæ in cava interna noſtri corporis exhalat.

Organa tranſpiratoria ſunt extremitates arteriarum in cutem, ſuperficiem aeream pulmonum & in cava interna noſtri corporis hiantium.

Materia tranſpirabilis cutanea & pulmonalis, aqua eſt, in vaporem reſoluta, cum pauco oleo attenuato & ſale volatili.

Quantitas materiæ perſpirabilis tempore æſtivo noſtris in regionibus ad libras V. fere intra 24. horas æſtimatur. Differt hæc tamen pro diverſitate victus, aeris, climatis, motus & quietis.

Transpiratio interna est vapor aqueus aliquantum gelatinosus.

Usus. Transpiratio *cutanea* sanguinem a superflua aqua & subtilioribus recrementis liberat, atque cutem perpetuo humectat, ne aere exsiccetur.

Transpiratio *interna* facit, ut viscera in suis cavitatibus mollia maneant.

Sudor est adeo aucta transpiratio, ut vapor cutaneus evadat visibilis. Ex iisdem vasis ac transpiratio secernitur; eliminat ex sanguine non solum aquam sed etiam particulas salinas, terrestres, & oleosas.

INHALATIO.

Est absorptio vaporum, qui in cava nostri corporis exhalant, & eorum, quæ externæ superficiei corporis applicantur.

Organa absorbentia sunt

1. *Extremitates venarum*, quæ in externam cutis superficiem & in superficies cavitatum internarum & viscerum hiant.
2. *Venæ lymphaticæ*, quæ ex his cavitatibus, & ex tela cellulosa ubique oriuntur.

Materia absorpta per venas absorbentes in massam sanguineam, per vasa autem lymphatica in ductum thoracicum vehitur.

Usus. Absorptio *interna* præcavet, ne hydrops in cavitatibus nostri corporis fiat, & lympha absorpta diluit chylum in ductu thoracico. Absorptio au-

tem *cutanea* medicamenta cuti applicata & forſan *principium* nobis adhuc incognitum ex aere abſorbet.

DE ACTIONIBUS SEXUALIBUS GENERATIM.

Actiones, quæ propagationi hominis inſerviunt ſic dicuntur. Huc referuntur.

In *Viris*	*Excretio ſeminis.*
In *fœminis*	*Menſtruatio.*
	Conceptus.
	Evolutio embrionis.
	Graviditas.
	Partus.
	Puerperium.

Uſus. Si homo ſpeciem ſui individui propagare non poſſet, tunc genus humanum unius ſolummodo ætatis fuiſſet.

EXCRETIO SEMINIS.

Organa ſemen *excernentia* ſunt extremitates arteriarum ſpermaticarum, e quibus ſemen in vaſcula ſerpentina, quæ teſtis ſubſtantiam pulpoſam formant, deponitur.

Semen ex vaſculis ſerpentinis teſtis in *epididymidem*, ex ea in *vas deferens* & ex eo in *veſiculas ſeminales* defertur.

Propellitur autem ſemen tum ſucceſſione novi ſeminis,

tum contractione musculi cremasteris, qui funiculum spermaticum ambit.

Semen in vesiculis seminalibus collectum, sua mole vel stimulo ad sui emissionem organa genitalia incitat.

Sic venæ substantiarum cavernosarum penis *vi nervea* contrahuntur, ex hac contractione sanguis arteriosus in cellulas hujus substantiæ exire cogitur, inde penis intumescere, calere, rigere, & ad coitum prurire incipit.

Tandem pene penitus erecto contrahuntur vi convulsiva vesiculæ seminales, sic semen summa vi per ductus ejaculatorios in urethram, & ex urethra actione musculorum acceleratorum extra illam ad magnam distantiam projicitur.

Sub seminis projectione a summo erectionis gradu glandis membrana nervea violentam patitur extensionem, a qua *æstrus venereus*, seu *libidinis sensatio* oritur.

Demum sub exitu seminis simul glandulæ *prostatæ succus* cum semine mixtus simul ejicitur.

Sic sub *coitu* semen in uteri cavum projicitur. Ex quo pars volatilis seminis per tubas Fallopianas ad ovaria muliebria abire videtur.

Emisso semine remittit vis nervea, hinc detumescit penis, collabitur & toto in corpore sentitur languor.

Usus. Semen continet in se principium, quo embrio in ovulo materno delitescens vivificari & animari videtur.

MENSTRUATIO.

Est sanguinis secretio ex utero, quæ fæminis omni mense contingere solet.

Organa sanguinem menstruum *secernencia* videntur esse extremitates arteriarum, quæ in fundo uteri sunt.

Causa hujus fluxus vel latet, vel topica uteri plethora est. Hæc ex uteri structura fieri videtur.

Incipit hæc evacuatio in nostris regionibus utplurimum ætatis anno 14. & *desinit* 49. vel 50.

Sanguinis menstrui indoles vix corrupta censeri potest, si fæmina sana & munda est.

Differt autem sanguinis menstrui *quantitas*, *periodus*, *duratio*, *initium* & *finis* atque *sumptomata*, quæ præcedunt, aut concomitantur, pro ætate, temperie, habitu corporis, climate, tempestate anni, victus ratione, exercitatione, aliisque.

Usus. Menstrua mulieres conceptioni & nutritioni fœtus idoneas reddunt.

CONCEPTUS.

Coitus est congressus viri cum fæmina, quo vir ope penis erecti & in feminæ vaginam immissi semen suum in uteri cavum projicit.

In coitu eriguntur fæminis vi nervea nymphæ & clitoris; uterus ſanguine turget, tubæ Fallopianæ rigent, ampliantur, fimbriis ſuis in orbem explicatis ovarium amplectuntur, & oſculo ſuo ovarii veſiculæ eminentiori applicantur.

Fæminis in ſummo erectionis gradu cum maxima *voluptatis ſenſatione* profluit ſubito magna *muci* copia, qui autem falſo pro ſemine muliebri habetur; hoc muco excuſſo omnes partes erectæ detumeſcunt, ſolæ tubarum fimbriæ ovario per aliquot dies applicatæ manent.

Simul etiam in ovario *veſicula* præ aliis eminentior & maxime matura turget, tandem rumpitur, & ex ea elabitur ovulum, tunc adhuc inconſpicuum, quod ab oſtio tubæ excipitur, & motu periſtaltico tubæ ad uteri cavum devolvitur.

Ovulum vivificatum ſic in uterum defertur, ubi ulterius evolvitur & increſcit.

Uſus. Coitu fæcundo ergo ovulum vivificatur, & in uteri cavum defertur.

EVOLUTIO EMBRIONIS.

Ovulum vivificatum & ex veſicula ovarii in uteri cavum delatum, videtur jam ex tribus membranis, liquore amnii, placenta, funiculo umbilicali & embrione conſtare.

Omnes autem hæ partes adeo parvæ & pellucidæ ſunt, ut primis diebus videri non poſſint.

Semen videtur corculum embrionis in motum incitare, ſic illud ſenſim humores in aorta, & omnibus

vasis incipit movere, sic ex vena cava & pulmonali humor in cordis cava intrat, *& prima humorum circulatio* incipit.

Ovulum demum in uteri, conceptione clausi, humore primis diebus natans, suis poris hunc liquorem attrahit. Sic liquor amnii augetur & ovulum grandescit adeo, ut uteri cavum expleat.

Demum ovuli superficies externa cum interna uteri concrescit, ope texti fibrosi ex ovulo & utero evoluti. Plaga ovuli superior, quæ placentam continet cum uteri vasis concrescit, adeo ut vasa utriusque partis anastomosi jungantur.

Sic sanguis matris ex utero in placentam & ex ea per *venam umbilicalem* funiculi in embrionem influit, nutritioni autem embrionis ineptus, vel superfluus sanguis per *arterias umbilicales* embrionis iterum in placentam reducitur.

Hoc sanguinis itu & reditu omnia embrionis vasa elongantur, dilatantur, nutriuntur, & evolvuntur. Sic fœtus & omnes ejus partes perpetuo increscunt ad tempus partus usque.

Diversitas *faciei* embrionum in diversitate stimuli seminalis consistere videtur, at modus quo hoc fit ignoratur.

Nutritio embrioni tum per venam umbilicalem, tum per liquorem amni deglutitum advehitur.

Excretio embrionis. Toto tempore nec alvum nec urinam deponit, nec perspirat.

Respi-

Respiratio embrionis; quamdiu utero inclusus est, non respirat, cum aere non fruatur.

Circulatio sanguinis in embrione. Sanguis venæ umbilicalis partim venæ portarum, partim canali venoso, qui ex vena portarum in venam cavam pergit, infunditur. A pulmonibus autem contractis, collapsis & otiosis sanguinis maxima pars per canalem arteriosum & foramen ovale avertitur; minima pars pulmones transit. Pars demum sanguinis maxima per arterias umbilicales in placentam abducitur.

Somnus & *vigiliæ* embrionis. Perpetuus embrionis motus & causa somni in embrione absens, eum perpetuo vigilare suadent.

Situs. Embrio primis graviditatis mensibus capite sursum & facie antrorsum spectat, ultimis mensibus ob capitis auctum pondus capite deorsum & facie simul retrorsum se *vertit.*

Externa totius embrionis *superficies* smegmate pingui ex glandulis cutaneis excreto oblinitur. Quo mediante vim liquoris amnii macerantem eludit & facile vias partus transit.

Cranium embrionis futuras membranaceas habet & ossa ex pluribus portionibus constant, ut caput in partu facile comprimi & volumine diminui possit.

Vita embrionis in circulatione sanguinis consistit, hæc primo conceptionis momento contingit.

Animatio autem embrionis in consociatione mentis cum corpore consistit, hinc & hæc primo conce-

ptionis momento contingere debet; cum nulla vita *animalis* ſine anima exiſtere poſſit.

Pro diverſa ovulorum maturorum multitudine uno ex coitu *gemelli*, *trimelli*, vel *quadrimelli* concipiuntur.

Superfœtatio eſt impregnatio fœminæ jam gravidæ; hæc utplurimum utero duplici vel biloculari præſente contingere ſolet.

Monſtra a præternaturali rudimento embrionis oriri videntur.

GRAVIDITAS.

Mox a conceptu orificium uterinum ſe contrahit, atque humore admodum viſcoſo, obturatur.

Uterus inde quotidie major & gravior factus, deſcendit primo menſe aliquantum in pelvim, cæteris autem menſibus aucto volumine ventrem fere totum occupat.

Menſtrua emanent, *mammæ* aliquantum intumeſcunt, non raro *vomunt* gravidæ & alia incommoda patiuntur. Hæc a compreſſione viſcerum, aucta irritabilitate corporis, retentis menſtruis & ſtimulo embrionis oriuntur.

Tertio Menſe *abdomen* ſupra oſſa pubis intumeſcere incipit, omni menſe ad 8vum usque magis ac magis. Quinto menſe embrionis percipitur *motus*. *Orificium uterinum* perpetuo mollius & tenuius & brevius evadit, ultimo menſe ſacci carthacei adinſtar explanatur.

Crassities uteri fere eadem manet. *Cartilagines* pelvis fiunt molliores, vagina muco abundat.

Tempus *graviditatis*, a natura definitum, spatium novem mensium solarium est, subinde plus minus differt.

Usus graviditatis est, ut fœtus commode evolvi & maturescere, ut dein aeris injurias ferre possit, propriamque vivere vitam.

PARTUS.

Finito graviditatis spatio partus sequitur ex *causa* nondum penitus cognita.

Phænomena, quæ partum *præcedunt*, *comitantur* & eum *sequuntur*, sunt hæcce

1. Aliquot ante partum dies sentit gravida leves lumborum *dolores*; venter aliquantum descendit, *orificium* fere abolitum, sacci tenuis adinstar explanatum, tangitur declivius in pelvi locatum, & Gravida frequentius stimulatur ad mejendum, difficilius progreditur; effluit ex vagina humor viscosus.

   Hæc sunt phænomena partum instare præsagientia.

2. Quum partus re vera incipit, doloribus circa lumbos afficitur parturiens, qui per intervalla vallidiores redeunt, uterum & abdomen contrahunt, orificium uterinum sensim plus & plus aperiunt, vesicam liquore aqueo plenam ex illo protrudunt, verticem fœtus in illo

liquore deorſum premunt, & parturientem ad validas inſpirationes cogunt. Pulſus fit plenior & frequentior, facies rubet, & ſudat, pudenda tument.

3. Hæc omnia ſenſim vehementiora evadunt, tandem parturiens contremiſcit tota, maxime in genubus, humor viſcoſus e vulva promanans ſanguineis ſtriis tingitur, vehementiſſimum ſentit teneſmum, quo ſub doloribus ſpiritum validiſſime cohibet, totoque corpore utitur ad exprimenda uteri contenta, ſic ſubito ex ruptis, quæ capiti præviæ ſunt, membranis, projicitur liquoris amnii portio. Non diu poſt caput embrionis magis magisque a doloribus vehementiſſimis extra oſtium vaginæ propellitur, quod tandem totus ſequitur infans cum ſubſequente liquoris amnii parte reſtante.

4. Sic ſubito omnia phænomena ceſſant, reditque diu optata quies. Brevis autem hæc eſt, paulo enim poſt novis obortis doloribus expellitur *placenta* cum ovi membranis & *funiculo umbilicali*, qui adjutrice manu ſub exitu attrahi poteſt. Exitum placentæ ſanguinis ſinceri fluxus per aliquot horas ſequitur, qui dein ſeroſus vel lacteus fit, & nomine *lochiorum* denotatur.

Cauſa proxima, quæ nono menſe dolores excitat, nota non eſt, an extricatio fibrarum uteri &

ſumma extenſio, an molimina menſtrualia? an pondus fœtus?

Partes, quæ ad peragendum partum concurrunt in *activas* & *paſſivas* dividi poſſunt.

Partes *Activæ* ſunt 1. *uterus*, qui vi muſculari fundum & corpus ſuum contrahit, ſic orificium *dilatatur* & contenta uteri per orificium & vaginam, in qua nulla vis reprimens eſt, exprimuntur.

2. *Muſculi abdominales* & *diaphragma*, quæ inſtar præli ſe contrahunt, & omnia, quæ utero continentur validiſſime deorſum premunt, atque caput in pelvis aperturam preſſum cunei adinſtar acuminant.

Sic liquor amnii & fœtus partes ſunt paſſivæ, hæ vero agunt in ſegmentum inferius ovi membranacei, quod in formam veſicæ liquore amnii plenæ ex orificio protrudunt, ac demum rumpunt.

Veſica liquoris amnii prævii & caput acuminatum fœtus dilatant magis & magis orificium uteri & vaginam; ex hujus dilatatione introrſum ducuntur *labia majora*, *coccyx* autem ab exeunte capite aliquantum reprimitur. Atque ne perinæum rumpatur, curvatura oſſis ſacri caput intra oſſa pubis antrorſum ducitur.

PUERPERIUM.

Fœtu excuſſo ſenſim cavitas uteri ſe fere tota contrahit ; hinc placenta & ei adhærentes membranæ ovi ſeparantur, & expelluntur.

Fluunt *lochia* potiſſimum ex arteriis uteri in loco, cui placenta adhæſerat, ſenſim vero & hæc vaſa graviditate dilatata ſe contrahunt magis, uterus demum & abdomen & pelvis brevi tempore priſtinam magnitudinem recipiunt, quamvis non plene.

Circa tertium a partu diem mammæ, ſub finem graviditatis jam aliquantum tumentes, ab affluente lacte magis tumere, indureſcere & dolere incipiunt, ſupervenitque *febricula* quam *lacteam* dicunt. Papillæ eriguntur.

A ſuctu infantis mammæ deplentur. Suctus infantis matri gratus eſt, incommoda tumidarum mammarum aufert & mala ſymptomata a lacte regurgitante timenda præcavet.

Poſt aliquot menſes lactatio matri moleſta fit, & infans firmiores & plures appetens cibos, mammas reſpuere incipit, & tunc eſt tempus infantem ablactandi.

HOMINIS ÆTATES.

Hominis vita rarius ultra 70 annos durare ſolet. Hoc vitæ humanæ conſuetum ſtadium in 7. dividitur *ætates*, quarum quælibet ſuam patitur metamorphoſim.

I. *Embrionatus* eſt hominis ætas, quam in utero materno ſpatio 9. menſium vivit. Embrio, in ſua origine muco eſt ſimilis, in quo ſenſim linea alba, quam *carinam* MALPIGHII dicunt, & quæ ſyſtema cerebrinum eſſe videtur, atque punctum rubrum, *punctum ſaliens* nominatum, quod cor embrionis eſt, evolutum obſervatur. Hicce homuncio a tam exigua magnitudinine intra 9. menſes in 8. librarum molem excreſcit.

II. *Infantia*, quæ a 1. ad 7. annum extenditur. *Phænomena prima* infantis mox in lucem editi, ſunt ſequentia; mox quum naſcitur infans

1. *Reſpirat* & *clamat* ob aerem pulmones irritantem.
2. Clamore *meconium* dejicit & *urinam*.
3. Mammis maternis admotus papillas inter labia comprimit & *lac* ex illis ſugit.
4. Plurimum tempus *dormit*.
5. Oculos quidem aperit, at non *videt* ob tunicam pupillarem nondum penitus evanidam.
6. Neque *audit* ob auditorii meatus coarctationem, neque *olfacit* ob ſinus pituitarios nondum formatos.

Mutationes, quæ in corpore infantis poſt partum contingunt, ſunt,

1. *Funiculus umbilicalis* non procul a ventre ligatus, poſt aliquot dies ex ipſo umbilico exſiccatus decidit, & cicatricem relinquit.

2. *Pulmones* in fœtu parvi, atro rubentes, ſolidi, in aqua fundum petentes, a reſpiratione evadunt leves, ſpongioſi, magni, aquæ innatantes, ſubalbidi & aere pleni.

3. *Canalis arterioſus Potali*, & *foramen ovale* in ſepto auricularum ſenſim concreſcunt, cum ſanguis facilius recta ſurſum in dilatatas & molles arterias pulmonales ruat.

4. Sic etiam in abdomine *vena umbilicalis & arteriæ umbilicales*, nec non *urachus* veſicæ ſenſim concreſcunt, cum nullo perfluente humore diſtendantur.

5. *Hepar* in fœtu tumidum ſenſim minuitur, & ſub coſtas ſe recipit. *Ventriculus* in longitudinem extenditur, *craſſaque inteſtina* dilatantur, & *cæcum inteſtinum* a pondere fœcis naſcitur.

6. *Oſſa* prope ſunt cartilaginea; apophyſes vix formatæ. Omnes oſſium *epiphyſes* & *apophyſes* ab actione muſculorum ſenſim magis educuntur.

7. *Cor* irritabilius, & majus, vaſis validius, unde pulſus celerior & frequentior infantibus. *Vaſa* plurima in omnibus partibus.

8. *Cerebrum* & *nervi* majores unde *ſenſibilitas* & *irritabilitas* infantum major.

9. *Suturæ* & *fonticulus cranii* ſenſim coaleſcunt.

10. *Glandulæ* omnes majores, *humores* multi & gelatinoſi ſunt.

11. *Cutis* nitida, plana, lævis; multa pinguedo.

12. Sexto menſe primi prodeunt *dentes*, qui in alveolis hucusque latitarunt. Tertio anno perfecta eſt *prima dentitio*.

13. Altero anno firmatis muſculis ſolus *progredi* incipit, & initio tertii anni *loqui* valet & ſenſim informari.

14. Dentitione prima finita, ubera matris *reſpuit*, cibos molles *manducat*. Ridiculus & pro ætate *ingenioſus* evadit.

III. *Pueritia* a 7. ad 14. annum durat. Septimo anno *dentes primarii* excidunt, ac ſenſim *ſecundarii* ſuccedunt. Ciborum frequens deſiderium, nugarum, motionis & garrulitatis amor ingens. *Humores* majori copia ad caput ruunt.

IV. *Juventus*, quæ ab anno 14. ad annum 21. extenditur. *Puellis* poſt 14. annum *mammæ* ſororiare, *ſinus pudoris* aperiri & *catamenia* profluere incipiunt.

Juveni autem tempore pubertatis *vox* flebilis in graviorem mutatur, *lanugo* pubis proſerpit, *ſemen* in teſtibus ſecernitur, *igniculi* venerei ſentiuntur & timido puero *audacia* juvenilis in mentem venit. *Ingenium* & *memoria* excellunt. Atque 21 anno uterque ſexus in longitudinem *excreſcere* definit. *Barba* erumpit in mento & axillis.

V. *Adulta ætas* ab anno 21. ad 30. durat. Omnia membra evadunt perfectiora & firmiora. Nec

non dentes ultimi molares, quos *dentes sapientiæ* dicunt, protruduntur. In sexu masculo anni nubiles adsunt, qui in sexu fæmineo jam fine ætatis juvenilis aderant.

VI. *Virilitas*, quæ ab anno 30. ad 50. seu ad *canitiem* durat. Hoc vitæ stadio summum corporis & mentis robur adest. Multis *abdomen* anno 35. intumescere incipit. *Fœminis* anno 49. *catamenia* cessant & hæ *steriles* evadunt.

VII. *Senectus.* Ab anno 50. ad 60. incipit senescere homo, *Capilli* evadunt cani. *Visus* & *auditus* debilitatur. Nomina propria difficulter *memoria* retinentur. Languet *venus*. Multi senes anno 63. moriuntur.

VIII. *Decrepita ætas* ab anno 60. ad 70. & ultra. Hac ætate.

1. *Corpus* macrum, rigidum & curvatum evadit.
2. *Cutis* opaca, & præsertim circa frontem rugosa.
3. *Capilli* canescunt, & caput *calvum* fit.
4. *Genæ* pallidæ.
5. *Musculi* tenaces, duri & tendinei fere, *ligamenta* rigida, *ossa* fragilia, *cranium* in futuris consolidatum. *Cartilagines* & *tendines* ossescunt.
6. *Dentes* vacillantes, elevati & rari.
7. *Cor* proportione minus, & debilius & minus irritabile. *Vasa* minora pauca, & majora dilatata.
8. *Cerebrum* & *nervi* sicci, hebetes & minus sensiles.

9. *Oculi* planiores fiunt, hinc Senum presbyteria.

10. *Glandulæ*, *testiculi* & *ovaria* contabescunt.

11. *Actiones vitales* fiunt tardiores. *Pulsus* qui in infante intra minutum 130. ultimo vix 50. sunt. *Calor* decrescit.

12. *Actiones animales.* Vires *musculares* diminutæ & rigidæ. *Artus* tremuli, genua titubant, pedes sæpe in obvia offendunt. *Sensus externi* hebetes, *interni* minuti. *Memoria* debilis. *Mens* obliviosa.

13. *Actiones naturales.* Appetitus vix ullus. Digestio tarda, ob pauciora vasa lactea parcus chylus transit in sanguinem, hinc nutritio exigua, secretiones omnes diminutæ. Hinc *decrementum* corporis, marasmus senilis, humores pauci, acres, atque terrei.

14. *Actiones sexuales* penitus cessant. *Mas* semen non amplius conficit, nec erigit. *Fœminæ* nec menstruant, & steriles sunt.

MORS.

Naturalis *mortalitas* hominum est, ut generatim unus ex 36. omni anno moriatur.

Præternaturalis autem mortalitas quoad ætatem, sexum, clima, morbos, & quasdam res accidentales admodum differt.

Causa proxima mortis *naturalis* est sensim ingruens fibrarum rigiditas, qua cordis irritabilitas, & sanguinis motus sensim cessat.

Anima tunc ſuum corpus deſerit, ac eo abit, quo DEUS juſſerit.

Signa mortis. Cordis & arteriarum pulſus, atque reſpiratio abſunt, ſenſilitas & irritabilitas partium omnium adeo perit, ut nulla arte revocari poſſint; frigus & tandem rigor totius corporis ingruit. Paulo poſt peculiaris fœtor ex cadavere exhalat.

Fata cadaveris. Mortui hominis cadaver ſepulturæ traditur, in hac per putredinem in ſua, quibus conſtat principia, ſolvitur.

Partes humidæ brevi avolant, aut humo ſe admiſcent, oſſa autem, quæ difficilius ſuo glutine privantur, tardius dilabuntur.

F I N I S

P A R T I S P R I M Æ.

PATHOLOGIA
CHIRURGICA
SEU
DOCTRINA GENERALIS
DE
MORBIS CHIRURGICIS.

JOSEPHI JACOBI PLENCK,

Chirurgiæ Doctoris, nec non Chirurgiæ, Anatomes, atque Artis obstetriciæ Professoris Cæsareo-Regii, publici ac ordinarii in Cæsareo-Regia Universitate Budensi.

COMPENDIUM INSTITUTIONUM CHIRURGICARUM

PRO

TIRONIBUS CHIRURGIÆ.

PARS SECUNDA.

Editio secunda, aucta, emendata.

VIENNÆ,

APUD RUDOLPHUM GRÆFFER, 1780.

CONSPECTUS
PATHOLOGIÆ CHIRURGICÆ.

De Pathologia generatim.

NOSOLOGIA.

De Nosologia generatim.

Morbi simplices partium solidarum.

Morbi cohæsionis.
——— elasticitatis.
——— irritabilitatis.
——— sensitivitatis.

Morbi organici partium solidarum.

Morbi numeri.
——— diametri.
——— magnitudinis.
——— figuræ.
——— situs.
——— nexus.
——— continuitatis.
——— consistentiæ.
——— substantiæ.
——— coloris.
——— caloris.
——— planitiei.
——— gravitatis.

Morbi partium fluidarum.

Morbi quantitatis.
——— cohærentiæ.

Morbi acritatis.
——— degenerationis.
——— miſcellæ.
——— erroris loci.
——— retentionis.
——— excretionis.
——— ſecretionis.
——— motus.

De Diviſione & differentia morborum generatim.

ÆTIOLOGIA.

De cauſis morborum generatim.
Cauſæ proximæ morborum.
——— excitantes.
——— prædiſponentes.

SYMPTOMATOLOGIA.

De ſymptomatibus generatim.
Symptomata externa.
——— interna.

SEMIOTICA.

De ſignis morborum generatim.
Diagnoſis.
Anamneſis.
Prognoſis.

THERAPIA.

De curatione morborum generatim.
——— ——— ——— ſpeciatim.
Hygiene.
Pharmaceutica.
Chirurgia.



DE

PATHOLOGIA CHIRURGICA

GENERATIM.

Pathologia chirurgica eſt ſcientia, quæ doctrinam de morbis externis tradit.

Dividitur in *generalem*, quæ morbos generatim, &
— *ſpecialem*, quæ ſingulos morbos ſpeciatim conſiderat.

Pathologia generalis in V. diſcernitur partes.

1. *Noſologia*, de morborum nomine, diviſione & differentia.
2. *Ætiologia* de cauſis morborum.
3. *Symptomatologia* de ſymptomatibus morborum.
4. *Semiotica* de ſignis morborum.
5. *Therapia* de curatione morborum agit.

Therapia iterum in 3. partes ſubdividitur.

1. *Hygiene* victu & regimine rerum naturalium.
2. *Pharmaceutica*, medicamentis.
3. *Chirurgia* manu & inſtrumenti morbos curare docet.

NOSOLOGIA.

Nosologia eſt ſcientia, quæ morborum denominationem, differentias, & diviſiones tradit.

Morbus externus eſt præternaturalis alicujus partis conſtitutio.

Morbi ſuas *denominationes* vel a ſua indole, aut ſuo primario ſymptomate, aut a ſua cauſa proxima habent.

Primaria morborum diviſio eſt,

1. in morbos *ſimplices partium ſolidarum.*
2. — ——— *organicos* ——— ———
3. — ——— *partium fluidarum.*

MORBI SIMPLICES PARTIUM SOLIDARUM.

Sunt præternaturales *virium*, quas fibræ noſtri corporis exercent, conſtitutiones.

Primariæ noſtrarum partium vires ſunt,

1. *Cohæſio.*
2. *Elaſticitas.*
3. *Irritabilitas.*
4. *Senſitivitas.*

MORBI COHÆSIONIS.

Cohæſio elementorum, quæ fibram conſtituunt, tribus modis peccare poteſt.

1. Cohæſione *deficiente.*
2. ——— *excedente.*
3. ——— *ſoluta.*

Cohæſio elementorum fibrilium nimis parva, ſeu deficiens in partibus *mollibus* dicitur *laxitas fibrarum*, in *oſſibus* autem mollities.

Cohæſio elementorum fibrilium nimis magna, ſeu excedens in partibus *mollibus* vocatur *rigiditas fibrarum*, in *oſſibus* autem *fragilitas.*

Cohæſio fibrarum ſoluta, in partibus mollibus *tabum*, in oſſibus *pulverem* conſtituit.

MORBI ELASTICITATIS.

Elaſticitas partium elaſticarum *exceſſu*, vel *defectu* peccat.

Elaſticitatis exceſſus *æſtuatio fibrarum.*

Elaſticitatis defectus *inertia fibrarum* dicitur.

MORBI IRRITABILITATIS.

Irritabilitas fibrarum muſcularium *exceſſu* vel *defectu*, aut *motu* vel *immobilitate* peccare poteſt.

Irritabilitas excedens; *mobilitas fibrarum muſcularium nimia.*

Irritabilitas deficiens; *torpor fibrarum muſcularium* dicitur.

Contractio fibræ muſcularis præternaturalis; *ſpaſmus*,

Immobilitas fibræ muſcularis præternaturalis; *paralyſis fibræ* vocatur.

MORBI SENSITIVITATIS.

Senſitivitas excedens, *ſenſatio ingrata* vel *dolor* ——— deficiens, *inſenſilitas* vel *anodynia* dicitur.

MORBI ORGANICI PARTIUM SOLIDARUM.

SUNT præternaturales *qualitatum viſibilium* conſtitutiones in partibus ſolidis noſtri corporis.

Qualitates viſibiles organorum noſtri corporis ſunt. *Numerus*, *diameter*, *magnitudo*, *figura*, *ſitus*, *nexus*, *continuitas*, *conſiſtentia*, *ſubſtantia*, *color*, *calor*, *planities*, *gravitas*.

MORBI NUMERI.

Numerus alicujus partis vel *exceſſu* vel *defectu* peccat.

Numerus excedit, ſi 6. digiti, vel 3. teſticuli, duplex penis, vel duo capita adſint.

Numerus deficit, ſi digitus, crus, brachium, penis, vel naſus deeſt.

MORBI DIAMETRI.

Vaſorum & reliquarum partium continentium diameter *exceſſu* vel *defectu amplitudinis* peccat.

Diameter partium continentium auctus, *amplitudo morboſa*.

Diameter partium continentium diminutus aut abolitus, *angustia morbosa* dicitur.

Morbosæ *amplitudinis* sunt 7. species.

1. *Eurisma* seu præternaturalis vasorum, aliorumque cavorum *dilatatio*. Ut in *anevrismate vero*, *varicibus* & *ascite* observatur.

2. *Phlogosis* seu præternaturalis vasorum sanguiferorum, vel decolorium *dilatatio*, quæ ruborem & calorem inducit, ut in omni *inflammatione* & *erythemate* videri potest.

3. *Anastomosis* seu præternaturalis orificiorum vel ostiorum *dilatatio*, qualis videre est in quibusdam *hæmorrhagiis*, & in annulis *herniarum inguinalium*.

4. *Diapedesis* seu præternaturalis pororum in lateribus vasorum vel cavorum *dilatatio*, quæ textilis adinstar transsudare sinit, quos continere deberet humores. Talis *transsudatio* in omni valida *inflammatione* & in valde distentis cavis contingit.

5. *Diæresis* seu *vulnus* vasorum aut cavorum, ut vulnus vasorum vel cavitatum cranii, thoracis, abdominis.

6. *Rixis* seu *ruptura* vasorum, aut cavorum. Ut ruptura *umbilici* in ascite, *ligamentorum capsularium* in luxatione, *venarum* in varicibus, *arteriæ* in anevrismate.

7. *Diabrosis* seu cavi alicujus *erosio* ab *acrimonia*, *caustico* vel *ulcere*.

Morboſæ *anguſtiæ* ſunt etiam 7. ſpecies.

1. *Emphraxis* ſeu vaſorum aut meatuum *obſtructio* ab humore extremitatem arteriæ vel meatus permeare non potente.
2. *Stenochoria* ſeu viarum *obſtipatio* ab intumeſcente pariete, qui cavum format. Sic intumeſcentia internæ membranæ ſtenochoriam parit œſophagi, urethræ vel vaginæ.
3. *Thlipſis* ſeu vaſis aut cavitatis compreſſio a cauſa extra illam ſita. Sic ſcirrhus ſubaxillaris arteriam brachialem comprimendo *ariduram* brachii facit.
4. *Contractilitas cavitatis* ſeu præternaturalis alicujus vaſis vel meatus *contractio a vi contractili ſpontanea.* Sic urethra ſenſim contracta *iſchuriam* cauſat.
5. *Sinizeſis* ſeu præternaturalis vaſorum aut meatuum *collapſus* vel *ſubſidentia.* Sic vaſa umbilicalia poſt partum collabuntur.
6. *Symphiſis* ſeu præternaturalis vaſorum aut meatuum *coalitus* vel *concretio*, ut in vaſis & aliis meatibus in ſenio contingit.
7. *Anguſtia aperturæ*, eſt oſtii nimis exigua *amplitudo*, ut in phymoſi præputii, vel arctura inteſtini recti videre eſt.

MORBI MAGNITUDINIS.

Partium magnitudo *excedere* vel *deficere* poteſt.

Magnitudo aucta alicujus partis, *tumor* vocatur. Huc ergo omnes tumores tum *frigidi*, tum *calidi* referuntur.

Magnitudo diminuta alicujus partis, *macritudo* dicitur. Ut *aridura* brachii vel cruris.

MORBI FIGURÆ.

Figura alicujus partis *dimenſione*, *craſſitie* vel *forma* peccare poteſt.

Dimenſionis exceſſus *longitudo*, ut caput oblongatum.

Dimenſionis defectus *parvitas*, ut capitis parvitas.

Craſſitiei exceſſus *craſſitudo*, ut collum craſſum.

——— defectus *gracilitas*, ut crura gracilia.

Receſſus a forma *deformitas* partis vocatur, ut collum obſtipum, gibbus ſpinæ dorſi, crura valga.

MORBI SITUS.

Situs alicujus partis *loco*, *dimotione* & *directione* peccare poteſt.

Situs in loco alieno *error loci* dicitur, ut dens e palato excreſcens, vulva ſub umbilico.

Situs partis e ſua ſede dimotæ vocatur *ectopia*. Huc omnes herniæ, prolapſus, luxationes & diaſtaſes oſſium referri debent.

Situs e ſua directione divergens dicitur *obliquitas*, ut obliquitas uteri, dentis, capitis.

MORBI NEXUS.

Nexus alicujus partis vel nimis *debilis* vel nimis *fortis* eſt.

Nexus nimis *debilis* in præternaturali mobilitate articuli.

Nexus nimis *fortis* in præternaturali immobilitate articuli ſeu in anchyloſi obſervatur.

MORBI CONTINUITATIS.

Continuitas partis vel *ſolutione continui* vel *continuitate ſoluti* peccat.

Solutio continui præternaturalis eſt in partibus mollibus, *vulnus*, *ulcus*, *labium leporinum*, in partibus duris, *fractura*, *caries*, *fiſſura*.

Continuitas præternaturalis in parte, quæ ſoluta eſſe deberet, eſt *concretio ani*, *vulvæ*, *articuli*.

MORBI CONSISTENTIÆ.

Conſiſtentia partis vel nimia *mollitie*, vel nimia *duritie* peccare poteſt.

Conſiſtentia nimis *mollis*, eſt in *œdemate*, *abſceſſu*, *gangræna*.

Conſiſtentia nimis *dura*, eſt in tumoribus *induratis* & *oſſeis*.

MORBI SUBSTANTIÆ.

Subſtantia naturalis alicujus partis ex naturali in præternaturalem mutari poteſt.

Subſtantia partium mollium in *cartilagineam*, *oſſeam*, *terream*, *cavernoſam*, *calloſam*, *fungoſam*, *ſteatomatoſam*, *ſcirrhoſam*, *putridam*, & dura oſſium ſubſtantia in *fungoſam* ſeu *carneam* mutata huc pertinet.

MORBI COLORIS.

Color naturalis alicujus partis vel *defectu* vel *alienatione* peccat.

Coloris naturalis defectus obſervatur in *pallore vulneris* vel *ulceris* vel aliarum *partium.*

Coloris naturalis alienatio, eſt color ruber in *inflammatione*, lividus in gangræna & *ecchymoſi*, niger in *necroſi* & *carie.*

MORBI CALORIS.

Calor naturalis alicujus partis *exceſſu* vel *defectu* peccare poteſt.

Caloris exceſſus in *inflammationibus.*

——— defectus in *ſphacelo* adeſt.

MORBI PLANITIEI.

Superficies alicujus partis *glabritie* vel *ſcabritie* peccare poteſt.

Glabrities morboſa eſt in *calvitie.*

Scabrities ſuperficiei naſcitur a *puſtulis*, *veſiculis*, *papulis*, *ſquammis.*

MORBI GRAVITATIS.

Gravitas naturalis alicujus partis *exceſſu* vel *defectu* peccat.

Gravitas major in parte *inflammata* & *indurata*,

——— *minor* in emphyſemate totius corporis percipitur, hinc cadavera putrida aquæ innatant.

MORBI PARTIUM FLUIDARUM.

HUMORES noſtri corporis peccare poſſunt.

1. *Quantitate.*
2. *Cohærentia.*
3. *Acritate.*
4. *Degeneratione.*
5. *Miſcella.*
6. *Errore loci.*
7. *Retentione.*
8. *Excretione.*
9. *Secretione.*
10. *Motu.*

MORBI QUANTITATIS.

Quantitas ſanguinis *exceſſu* vel *defectu* peccare poteſt.

Exceſſus *Plethora*, defectus *Keneangia* dicitur.

Plethora ſeu boni ſanguinis abundantia dividitur,

1. in *univerſalem*, quando ſanguis in toto corpore, & in *partialem*, quando in una ſolummodo parte abundat.
2. in *veram*, quando veri ſanguinis abundantia, in *ſpuriam*, quando ſolummodo ſanguinis expanſio, quæ *rarefactio* dicitur, adeſt.

Keneangia ſeu boni ſanguinis defectus, etiam *univerſalis* vel *partialis* eſſe poteſt.

MORBI COHÆRENTIÆ.

Cohærentia principiorum, quæ humores constituunt, *excessu* vel *defectu*, vel *secessu* peccat. Cohærentiæ excessus *spissitudo*; cohærentiæ defectus *Tenuitas* vocatur.

Spissitudo humorum est duplex.

1. Spissitudo *simplex*, quæ ex solo aquæ defectu nascitur.
2. Spissitudo *composita*, quæ vel *glutinosa*, vel *inflammatoria* vel *atrabilaria* vel *coagulata* vel *venerea* est.

Tenuitas humorum est etiam duplex.

1. Tenuitas *simplex*, quæ, a solius aquæ abundantia pendet, &.
2. Tenuitas *composita*, quæ acrimoniam sibi junctam habet.

Secessus sunt nimis faciles particularum a particulis cum quibus cohærere deberent, secessiones. Sic si a communi massa cruoris, sola *aqua*, vel *sal*, vel *oleum*, vel *mucus*, vel *terra*, vel *gelatina* facile secedit, variæ oriuntur *discrasiæ* humorum & tumores a secessu.

MORBI ACRITATIS.

Acritates sunt humorum imprægnationes cum principio quodam irritante.

Acritates humorum in *vulgares* & *specificas* dividuntur.

Acrimoniæ *vulgares* ſunt,

1. *Acrimonia acida*, ſeu ſalis acidi abudantia in humoribus.
2. ——— *alcalina*, ſeu ſalis alcalini volatilis abundantia.
3. ——— *ammoniacalis*, ſeu ſalis, qui noſtris humoribus nativus ineſt, abundantia in humoribus.
4. ——— *muriatica*, ſeu ſalis culinaris abundantia.

Acrimoniæ *ſpecificæ* ſunt

1. Acrimoniæ morborum *chronicorum* ut
   Acrimonia *venerea*, *ſcorbutia*, *arthritica*, *podagrica*, *rheumatica*, *ſcrophuloſa*, *ſcirrhoſa*, *cancroſa*, *ulceroſa*, *carioſa*, *ſcabioſa*, *tineoſa*, *leproſa*, *elephantiaca*, *herpetica*, *plicoſa*.
2. Acrimoniæ morborum *acutorum* ut
   Acrimonia *varioloſa*, *morbilloſa*, *miliaris*, *ſcarlatina*, *eryſipelacea*, *petechialis*, *peſtilentialis*, *carbunculoſa*, *gangrænoſa*, *putrida*, *febris intermittentis*, *vel continuæ*.

MORBI DEGENERATIONIS.

Humorum ſpontaneæ mutationes ex naturali in morboſam indolem, huc referuntur.

Hæ degenerationes vel in *primis viis* vel in *humoribus* ipſis contingunt; in primis viis *ſaburræ*, in humoribus *cacochymiæ* vel *cachexiæ* vocantur, huc pertinent.

1. *Rancescentia* seu olei degeneratio in humorem acrem, qualis in butyro corrupto percipitur.
2. *Putrescentia*, seu sanguinis & humorum gelatinosorum degeneratio in humorem tenuem & fœtidum qualis in cadavere observatur.
3. *Purulescentia* seu humoris gelatinosi degeneratio in *pus* seu in humorem blandum & albicantem, qualis in vulneribus invenitur. Pus autem dividitur.
   1. in pus *bonum*, quod saporem blandum, odorem nullum, consistentiam cremoris lactei, colorem stramineum, gravitatem aqua majorem habet, ad ignem flagrat, & ex prægressa inflammatione vel vulnere vel ulcere oritur.
   2. in pus *malum*, quod tenue, fœtidum, acre & virideſcens, nigrescens, aut fuscum est. Hoc pus etiam *sanies* vel *ichor* dicitur.
   3. in pus *spurium*, quod mucus flavus est, qui sine prægressa inflammatione, vel vulnere oritur & non flagrat. In *corryza*, *gonorrhæa*, *fistula lachrymali spuria* & *fluore albo* hic *mucus puriformis* sæpe observari potest.

   Pyogenia seu puris generatio adhuc obscura est; seri *gelatina* in vulnere, ulcere vel in tumore inflammatorio e vasis inflammatis transsudans & cum *oleo* membranæ adiposæ mixta, videtur materiam puris constituere. Pus *spurium* sine oleo est, hinc non flagrat.
4. *Crusta inflammatoria* est gelatinæ sanguinis vel seri degeneratio in humorem albicantem &

tenacem, qui ſuperficiem ſanguinis, e vena miſſi in morbis inflammatoriis tegere ſolet.

5. *Cancreſcentia* eſt degeneratio materiæ ſcirrhoſæ in ſpecificam acrimoniam, qualis in cancro obſervatur.

6. *Acreſcentia bilis*, eſt bilis peculiaris degeneratio, quæ multum cum ranceſcentia convenit.

7. *Atra bilis*, quæ in melancholicis & maniacis obſervatur.

8. *Acrimonia materiæ perſpirabilis*, quæ ex hujus liquidi retentione.

9. *Acrimonia urinæ*, quæ ex diuturna urinæ retentione.

10. *Acrimonia ſtercoracea*, quæ a diu retentis fœcibus inteſtinalibus naſcitur. Et

11. *Acrimonia ulcerum*, quæ ex ulceris ſuperficie reſorpta, humoribus communicatur.

12. *Saburra primarum viarum*; hæc degeneratio eſt multiplex; *acida*, *putrida*, *bilioſa*, *rancida*, *glutinoſa*, *ſalina*, *cruda*, *aromatica*, *acerba*, *terrea*, *flatulenta*, *venenata*, *verminoſa*.

13. *Degeneratio liquorum* in materiam *melli*, *pulti*, *ſevo*, *cartilagini*, *oſſi*, *terræ ſimilem*.

MORBI MISCELLÆ.

Sunt malæ humorum mixtiones, quoad principia conſtitutiva humorum. Huc ergo pertinent ſequentes *diatheſes* & *diſcraſiæ* humorum.

1. *Aquoſitas* ſi aqua ut in hydrope.

2. *Oleoſitas* ſi oleum, ut in obeſitate.

3. *Chy-*

3. *Chylositas*, si lac, ut in puerperis.
4. *Cruoritas*, si globuli rubri ut, in temperie sanguinea.
5. *Glutinositas*, si gluten, ut in temperie pituitosa.
6. *Gelatinositas*, si gelatina, ut in infantibus.
7. *Terrestritas*, si terra abundat, ut in senio, podagra, calculosis.
8. *Acritas*, si principium acre qualecunque in humoribus abundat. V. *acritates*.

MORBI EX ERRORE LOCI.

Transitus humorum a suis in aliena vasa, *error loci* vocatur. Transitus sanguinis e rubris in vasa *serosa*, seu *decoloria*, ut in inflammatione & in erythemate contingit, huc refertur.

MORBI EX RETENTIONE HUMORIS.

Humoris, qui excerni deberet, retentio in corpore *Retentio* dicitur. Huc revocatur retentio *materiæ perspirabilis*, *urinæ*, *fœcum intestinalium*, *lactis*, *sanguinis menstrui*, *lochialis*, *hæmorrhoidalis*, *puris*, aut qualiscunque *materiei morbosæ*.

MORBI EX EXCRETIONE HUMORIS.

Exitus humoris extra corpus vocatur *Excretio*. Excretio *sanguinis* e vulnere, *puris* nimia excretio ex ulcere, *seri* vel *lymphæ* ex ulcere lymphatici tumoris, huc pertinet.

MORBI EX SECRETIONE HUMORIS.

Secretio morbosa, est humoris sani *effusio* seu *extravasatio* e suis vasis in cellulas membranæ cellulosæ, vel in magnas corporis cavitates.

Huc pertinet *sanguinis* extravasatio in ecchymosi, *aquæ* in tumoribus hydropicis, *aeris* in emphysemate, *lactis* in tumoribus lacteis.

Metastasis est humoris morbosi secretio in quemdam locum, huc ergo pertinent omnes tumores *metastatici* & *criti*.

MORBI EX MOTU HUMORUM.

Motus humorum *excessu*, *defectu* & *directione* peccare potest.

Motus humorum major in toto corpore, *excessus in motu*

——— ——— ——— in aliquam partem directus, *congestio* humorum.

——— ——— *nullus* in quadam parte, *stagnatio* humorum dicitur.

Demum *influxus* & *effluxus* humorum in quadam parte esse potest *impeditus*.

DE DIVISIONE ET DIFFERENTIA MORBORUM.

SINGULI morbi *decurſus totalis* in 5. *ſtadia* dividi ſolet.

1. *Principium*, ſtadium eſt, quo morbus incipit.
2. *Augmentum*, quo morbus perpetuo augetur.
3. *Status*, quo nec augetur, nec decreſcit.
4. *Decrementum*, quo morbus decreſcit.
5. *Finis*, quo morbus penitus ceſſat.

Morborum differentia dividitur in *eſſentialem* & *accidentalem.*

Differentia *eſſentialis*, eſt diverſitas indolis, qua morbus a morbo differt.

——— *accidentalis*, eſt diverſitas, qua ejusdem morbi ſpecies inter ſe differunt.

A differentia eſſentiali dividuntur morbi in *claſſes*, *genera*, *ſpecies* & *varietates.* De his vide meam *pathologiam ſpecialem.*

Accidentalis morborum differentia petitur ab origine, tempore, ſede, decurſu, indole, vitæ genere, ſexu, ætate, climate, eventu.

DIFFERENTIÆ MORBORUM AB ORIGINE.

Reſpectu *originis* ſeu *cauſæ* dividuntur morbi.

1. In *hæreditarios*, *congenitos* & *adventitios.*

Hæreditarii, qui a morbo parentum in infantibus oriuntur, hi morbi ergo *paterni* vel *materni* eſſe poſſunt. Sic lues venerea, calculus, ſcro-

phulæ, catarracta ſæpe a parentibus in proles transeunt.

Congeniti, quos prolis in utero contrahit, at non a parentibus, alias hæreditarii eſſent, ſed ab alia cauſa. Nævi materni, hydrocephalus, ſpina bifida & omnes deformitates huc referuntur.

Adventitii, vocantur omnes morbi, qui vel jam ſub partu, vel poſt partum ad mortem uſque contrahuntur. Præter morbos hæreditarios, & congenitos, omnes cæteri huc pertinent.

2. In *primarios* & *ſecundarios*.

Primarii ſeu *protopathici*, qui non ab alio morbo, ſed a ſua propria cauſa oriuntur; ut vulnus, contuſio, fractura.

Secundarii ſeu *deuteropathici*, qui ex alio præſenti vel prægreſſo morbo oriuntur, ut luxatio a tumore interno articuli, ulcus ab inflammatione, cataracta poſt operationem orta.

3. In *pandemios*, *endemios*, *epidemicos* & *ſporadicos*.

Pandemii, qui ſine contagio multos homines in eodem loco aggrediuntur. Sic milites, in vento pulverulento iter facientes, fere omnes ophthalmia corripiuntur, ſic aer humidus plurimis odontalgiam rheumaticam cauſat.

Endemii, qui regioni vel populo cuidam proprii ſunt. Sic gentibus alpinis ſtrumæ, maritimis ſcorbutica ulcera, polonis plica polonica eſt endemia.

Epidemici ſunt morbi, qui multos homines in eodem loco & tempore aggrediuntur. Sic carbun-

culi, bubones peſtilentiales, anginæ gangræno-ſæ, ſubinde epidemice graſſantur.

Sporadici, qui ubique locorum & omni tempore inter homines obſervantur. Etiam morbi epidemici ſubinde ſporadice obſervantur. Sic ſubinde unus ex populo afficitur carbunculo, vel angina gangrænoſa.

4. In morbos *veros*, *fictos*, & *arte factos*.

Veri, qui a natura excitantur.

Artificiales, qui arte producuntur, ut ulcera per ſetaceum, fonticulum, veſicatorium procurata.

Ficti, qui arte finguntur, ut claudicatio, elephantiaſis, maculæ pigmento inductæ.

5. In morbos *legitimos* & *ſpurios*.

Legitimi ſunt, qui veram indolem morbi habent.

Spurii, qui alium morbum ſimulant & genericam indolem morbi non habent. Inde herniæ in *veras* & *ſpurias*, inde aneuriſmata in *vera* & *ſpuria* dividuntur.

6. In morbos a cauſa *externa* vel *interna*.

Morbi a cauſa interna ſeu *ſpontanei* ſunt, qui vitio humorum vel ſolidorum ſine cauſa externa naſcuntur, ut ulcera ab acrimonia ſcorbutica, vel alia.

Morbi a cauſa externa ſeu *violenti*, qui a vitio externo oriuntur, ut ulcus a veſicatorio, inflammatio a contuſione.

DIFFERENTIÆ MORBORUM A SEDE MORBI.

Respectu *sedis* dicuntur morbi.

1. *Externi*, qui in externa corporis superficie sedent, ut vulnus, ulcus, tumor.
2. *Interni*, qui in quadam corporis cavitate resident, ut vulnus visceris, effusio sanguinis, ascites, hydrocephalus, hydrothorax, caries articulationis.
3. *Vagi*, qui ex parte in partem migrant. Sic habetur erysipelas vagum.
4. *Fixi*, qui in loco, quem aggrediuntur, perpetuo morantur, ut fere omnes morbi solent.
5. *Retrogradi*, qui cum aliquamdiu partem externam obsiderunt, hac derelicta introrsum pergunt. Sic erysipelas subinde in parte externa subito evanescit, & cerebrum, aut pulmones summo cum periculo petit.
6. *Idiopathici*, quorum causa in eadem parte, in qua morbus se monstrat, residet.
7. *Sympathici* seu *consensuales*, quorum causa in alia parte residet, quam in qua morbus se monstrat. Ut amaurosis a saburra ventriculi, odontalgia a graviditate, vomitus a capitis læsione.
8. *Symptomatici*, qui alius morbi symptomata sunt. Quilibet fere morbus alius symptoma esse potest.
9. *Universales*, qui totam corporis superficiem obsident, ut anasarca, pneumatosis, ambustio universalis, si quis in balneum calidum incidit.

10. *Partiales*, qui integram partem occupant, ut œdema crurum, emphyſema capitis, eryſipelas faciei.

11. *Topici* ſeu *locales*, qui ſolummodo locum in parte quadam obſident, ut vulnus, tumor cyſticus: multi morbi videntur ratione ſuæ ſedis *locales*, qui tamen *univerſales* reſpectu ſuæ cauſæ ſunt, ut carcinoma, ſcrophula.

12. *Morbi partium*, qui ſingulis partibus ſunt proprii. Sic habetur anatomica diviſio morborum, ut morbi capitis, colli, thoracis, abdominis, artuum, vel morbi cutanei, oculares, dentium, oſſium, glandularum &c.

DIFFERENTIÆ MORBORUM A DECURSU.

Reſpectu *decurſus*, quem morbi habere ſolent, vocantur morbi.

1. *Breves*, qui celeriter decurrunt, ut tumores inflammatorii, vulnera, fracturæ.

2. *Longi*, qui diutius durare ſolent antequam curari poſſunt, ut ulcera, herniæ, prolapſus.

3. *Chronici*, qui per multos annos durare ſolent, ut cancer, ulcera antiqua, ſpina ventoſa, caries.

4. *Continui*, qui a prima invaſione ad finem uſque eodem tenore decurrunt.

5. *Remittentes*, qui per intervalla vel remittunt, vel exacerbantur, ſed non penitus ceſſant.

6. *Intermittentes*, ſeu *periodici*, qui certo tempore infeſtant, & iterum deſinunt. Sic datur ophthalmia periodica, quæ omni altero die infeſtat.

Morbi periodici, qui certum ſervant *typum* vocantur *typici*, qui vero typum certum non ſervant, dicuntur *erratici*.

Tempus inter duos *inſultus*, vocatur *apyrexia*, tempus autem ipſius inſultus, *paroxyſmus* dicitur.

7. *Præcedentes*, qui alium morbum præcedunt, ſic inflammatio eſt morbus præcedens abſceſſus, fiſſura oſſis morbus præcedens cariei.

8. *Acceſſorii*, qui ad morbum præſentem accedunt: ut gangræna vulneri, mammæ ſcirrhoſæ contuſio.

9. *Succeſſorii*, qui morbo jam finito ſuccedunt: ſic variolas ſæpe furunculi, leucomata corneæ, abſceſſus carioſi ſequuntur.

DIFFERENTIÆ MORBORUM AB INDOLE.

Reſpectu *indolis*, quam morbi habere ſolent, dantur morbi.

1. *Magni*, qui gravibus & magnis ſymptomatibus curſum ſuum abſolvunt: ut hernia incarcerata, læſio nervi.

2. *Parvi*, qui levia & non periculoſa ſymptomata habent: ut vulnus leve, ulcus ſimplex.

3. *Benigni*, qui nec periculum nec ſymptomata gravia habent, ut tumor cyſticus, ſcirrhus vel polypus benignus.

4. *Maligni*, qui periculum apparens vel occultum habent, ut ſcirrhus malignus, carcinoma, morſus a cane rabido, aut vipera venenata.
5. *Refractarii*, qui expertorum remediorum vim eludunt, aut curatione conſueta magis exacerbantur: ut cancer, caries occulta.
6. *Contagioſi*, qui per contactum ex homine in hominem tranſeunt, ut lues venerea, bubo peſtilentialis.
7. *Regulares*, qui conſueta ſymptomata habent.
8. *Irregulares* ſeu *anomali*, qui conſueta ſymptomata non habent.
9. *Simplices*, qui ſolitarii in parte ſunt, ut fractura ſimplex, luxatio ſimplex.
10. *Compoſiti*, qui in parte bis vel ſæpius adſunt, ut fractura duplex vel triplex in uno oſſe.
11. *Complicati*, qui cum alio morbo in eadem parte adſunt, ut luxatio complicata cum vulnere vel cum carie, vel cum fractura articulationis.

DIFFERENTIÆ MORBORUM AB EVENTU.

Reſpectu *exitus*, quem morbi habere ſolent, dividuntur.

1. In *ſanabiles*, qui arte vel natura ſanari poſſunt.
2. — *inſanabiles*, qui hucusque nec arte, nec natura ſanari potuerunt.
3. — *lethales*, qui in mortem abeunt. Morbi lethales iterum ſubdividuntur.
1. In *abſolute lethales*, in quibus nec ars, nec natura mortem avertere poteſt.

2. — *per ſe lethales*, in quibus ars, non autem natura mortem avertere poteſt.

3. — *per accidens lethales*, qui per ſe non lethales ſunt, per errorem chirurgi autem vel abuſu 6. rerum non naturalium lethales evadunt.

4. In *ancipites*, quorum exitus in vitam vel mortem incertus eſt.

5. — *recidivos*, qui jam curati ſæpius redire ſolent, ut cataracta, amauroſis.

6. — *ſalutares* ſeu *ſalubres*, qui ab alio morbo graviori hominem præſervant vel curant. *Ulcera* & *tumores critici* huc pertinent.

7. — *inſalubres* ſeu *detrimentoſos*, qui a nullo alio morbo præſervant, vel curant.

DIFFERENTIÆ MORBORUM A VITÆ GENERE.

A *vitæ genere* dividuntur morbi in morbos *artificum*, *militum*, *ruſticorum*, *litteratorum*, *eccleſiaſticorum*, *divitum*, *pauperum*, *peregrinantium* & *ſedentariorum*.

DIFFERENTIÆ MORBORUM A TEMPERAMENTO.

A *temperamento* dividuntur morbi in morbos temperamenti *ſanguinei*, *bilioſi*, *pituitoſi*, *atrabilarii*.

DIFFERENTIÆ MORBORUM A SEXU.

A *ſexu* dividuntur morbi in *maſculinos* & *fœminino*s. Fœminini iterum ſubdividuntur in morbos

virginum, *gravidarum* , *parturientium*, *puerperarum*, *vetularum.*

DIFFERENTIÆ MORBORUM AB ÆTATE.

Ab *ætate* dividuntur morbi in morbos *embrionales*, *infantiles*, *juveniles*, *viriles*, *ſeniles.*

DIFFERENTIÆ A CLIMATE.

A *climate* dividuntur mobi in morbos *climatum calidorum*, *frigidorum*, *temperatorum*, *humidorum*, *ſiccorum.*

DIFFERENTIÆ MORBORUM A TEMPORE.

A *tempore* dividuntur morbi in *vernales* , *æſtivos*, *autumnales*, & *hyemales.* In *novilunares* & *plenilunares.* In *diurnos* & *nocturnos.*

A *duratione* morbi dividuntur morbi in *recentes* & *inveteratos.*

Tandem a *ſtadio* morbi, ſingulus morbus dividi poteſt in morbum *incipientem* , *progredientem* , *ſtantem*, *declinantem* & *finientem..*



ÆTIOLOGIA.

SEU

DOCTRINA DE CAUSIS MORBORUM.

DE CAUSIS MORBORUM GENERATIM.

CAUSA morbi eſt ens, quod morbum producit.

Generatim morborum cauſæ dividuntur.

1. In *cauſas proëgumenas* ſeu *prædiſponentes.*
2. — —— *procatarctica* ſeu *occaſionales*, aut *excitantes.*
3. — —— *proximas* ſeu *morbum conſtituentes.*

Cauſa *proëgumenta* ſeu *prædiſponens* eſt illa diſpoſitio, corpori inhærens, vi cujus id aptum redditur, ad morbum ſuſcipiendum.

Non omnes morbi habent cauſam prædiſponentem. Hæc *prædiſpoſitio* eſt certa fluidorum vel ſolidorum vel utrorumque conſtitutio: atque jam ante morbum natum in corpore præſens eſt.

Cauſa *procatarctica* ſeu *occaſionalis*, eſt illud ens, quod corpori applicatum, morbum in corpore prædiſpoſito excitat.

Hæc cauſa etiam *remota* dicitur, atque dividi ſolet.

1. in *externam*, quæ extra corpus exiſtens, corpori applicatur.
2. in *internam*, quæ intra corpus exiſtens morbo cauſam dat.

Causa *proxima* est ipsa solidorum vel fluidorum mutatio, quæ morbum præsentem constituit, seu causa proxima est *morbus* ipse.

Causarum studium chirurgo perneceſſarium est, cum morbi curatio in causæ morbificæ ablatione consistat.

CAUSÆ PROXIMÆ MORBORUM.

Causæ proximæ sunt morbi simplices fibrarum vel humorum e quibus partes, morbo affectæ, constant.

MORBI A MORBIS SIMPLICIBUS PARTIUM SOLIDARUM.

Laxitas distorsionem, luxationem, aneurismata vera, varices, hernias facit.

Mollities ossium curvaturas membrorum, gibbositatem, partium deformitates.

Rigiditas anchylosim articulorum. Et *fragilitas ossium*, fracturas causat.

Tabida partium solutio humorem putridum, gangræ-nosum, vel cariosum producit.

Elasticitas excedens. Sic cartilaginum pelvis nimia elasticitas causa partus difficilis in fæminis seniculis est.

Elasticitas deficiens. Sic inertia cartilaginum pelvis diastasim ossium pelvis sub partu admittit. Inertia cartilaginum intervertebralium gibbum facit.

Irritabilitas aucta; stimulus in *nervis sensoriis*, dolorem in *nervis motoriis*, spasmum vel convul-

ſionem. In *nervis vitalibus* inflamationem vel febrem facit.

Irritabilitas imminuta brevi gangrænam inducit.

Spaſmus iſchuriam ſpaſmodicam vel anginam ſpaſmodicam.

Paralyſis anginam paralyticam & iſchuriam ex paralyſi veſicæ cauſat.

Senſitivitas aucta ſenſilitatem nimiam & dolorem facit.

Senſitivitas deleta: inde oritur anodynia gangrænæ; ſenſitivas deleta in nervo optico amauroſim, in nervo auditorio ſurditatem facit.

MORBI A MORBIS HUMORUM.

A *Plethora* oriuntur hæmorrhagiæ ex locis conſuetis, & non conſuetis, inflammationes veræ & ſpuriæ.

A *Keneangia* fiunt tumores œdematoſi.

A *ſpiſſitudine* obſtructiones & tumores.

A *tenuitate* inflammationes, maculæ, hæmorrhagiæ & extravaſationes.

Ab *acrimonia* varii oriuntur morbi. Sic

Acrimonia *acida* oſſium mollitiem univerſalem vel particularem, tumores carioſos & gangrænoſos facit.

——— *alcalina* tenuitatem acrem humorum cauſat, inde inflammationes, ulcera, hæmorrhagiæ.

——— *muriatica*, rigiditatem, ulcera cacoetha inducit.

——— *venerea* gonorrhæam, fluorem album, bubones, ulcera, ophthalmiam, condylomata, arthritidem nocturnam, tophos, & gummata.

Acrimonia *ſcorbutica*, ulcera fungoſa, gingivas cruentas, maculas, indurationes crurum, & ſtrepitum oſſium cauſat.

——— *arthritica*, tumores arthriticos & ulcera ſaniem nigricantem plorantia.

——— *podagrica*, tumores podagricos & nodos terreos facit.

——— *rheumatica* muſculorum & articulorum tumores doloroſos, teſticulorum dolores, ulcera cacoetha, cariem, membrorum ariduram & contracturam, anginam, ophthalmiam & odontalgiam rheumaticam facit: inflammationes rheumaticæ vix rubent.

——— *ſcrophuloſa*, ſcrophulas in collo, meſenterio, inguinibus, ophthalmiam, naſi & labii ſuperioris intumeſcentiam, cariem oſſium, articulorum tumores albos producit.

——— *Scirrhoſa* & *cancroſa* ſcirrhos & cancros.

——— *carbunculoſa* & *peſtilentialis* carbunculos, & bubones peſtilentiales.

——— *putrida*, gangrænam tumorum & vulnerum cauſat.

——— *rancida* eryſipelas, oſſium cariem.

——— *biliosa* etiam eryſipelas, herpetem.

——— *ulcerum* abſorpta febrem lentam, tumores metaſtaticos.

Saburra primarum viarum ſæpe ophthalmiam, odontalgiam, eryſipelas, vulnerum & ulcerum inflammationem facit.

Ab *errore loci* oriuntur inflammationes veræ, & ſpuriæ ſeu rubores cum vel ſine dolore & calore.

A *retentione materiæ perſpirabilis* tumores ſerofi, hydrocele, rheumatiſmi.

A *retentione urinæ*, iſchuria, veſicæ gangræna, ruptura, cyſtocele, calculus.

A *retentione fæcum inteſtinalium*, inteſtini recti extenſio, intumeſcentia extra anum, hæmorrhoides, ophthalmia, angina ob congeſtionem ſanguinis verſus caput.

A *retentione lactis* maſtodinia, inflammatio, induratio mammarum, tumores lactei extremitatum.

A *retentione ſanguinis menſtrui* vel *hæmorrhoidalis*, hæmorrhagiæ in variis locis, & tumores ſanguinei.

A *retentione ſeminis* ſpermatocele, ſarcocele, inflammatio teſtis.

Ab *excretione nimia ſanguinis* mors vel tumores œdematoſi.

Ab *excretione ſeri*, *puris* vel *lymphæ* febris hectica, tabes, mors.

Ab *excretione ſeminis*, amblyopia, cæcitas, gonorrhæa ſeminalis.

Ab *extravaſatione ſanguinis*, ecchymoſis, aneuriſma ſpurium, trombus.

Ab *extravaſatione ſeri*, œdemata, tumores ſerofi, hydropes.

Ab *extravaſatione lymphæ*, tumores lymphatici.

— ——————— *aeris*, emphyſemata.

A *metaſtaſi materiæ morboſæ* oriuntur tumores metaſtatici, vel critici.

A *congeſtione* ſeu motu ſanguinis violento in quamdam partem, hæmorrhagiæ, ophthalmiæ, amauroſis.

A *ſtagnatione* humorum putredo, vel degeneratio varia humoris ſtagnantis, ut in tumoribus cyſticis & hydropicis videre eſt, a ſtagnatione urinæ calculus oritur.

A *ſeceſſione principiorum* varii fiunt morbi: a ſeceſſione *aquæ* œdemata vel hydropes, a *ſeceſſione olei* lypomata vel obeſitas, a ſeceſſione *chyli* tumores lactei, a ſeceſſione *terræ* calculi vel tumores terrei, a ſeceſſione *glutinis* tumores œdematoſi, a ſecretione *ſucci nutritii* oriuntur ſarcomata, polypi.

CAUSÆ EXCITANTES MORBORUM.

Sunt conditiones, quæ cauſas proximas excitant, ſeu ſunt cauſæ cauſarum proximarum.

Frequentiſſimæ morborum cauſæ *excitantes* ſex ſunt, quas nomine *rerum naturalium*, vel *non naturalium* inſignire ſolemus, nempe

1. *Aer.*
2. *Cibus & potus.*
3. *Motus & quies.*
4. *Somnus & vigilia.*
5. *Excreta & retenta.*
6. *Animi pathemata.*

A E R.

Aer atmoſphæricus, noſtrum corpus ambiens, generatim omnes partes epidermide nudatas irritat, inflammat, corrumpit, vel ſubito exſiccat. Hinc vulneribus, ulceribus, oſſibus denudatis nocet. Poteſt demum aer peculiaria, quibus morbos creat, habere vitia.

1. *Aer calidus* humores rarefacit, ſolida relaxat, ſyſtema nerveum nimis irritabile reddit, bilem & reliquos humores ad putredinem diſponit. Hinc ab aeris calore vulnerum ingens ſuppuratio, gangræna, vermium excluſio, caro fungoſa, tetanus.

2. *Aer frigidus* humores condenſat, ſolida contrahit, *materia* autem *glacialis* humores noſtros in glaciem vertit, inde perniones, gangræna, ſphacelus partium congelatarum, præſertim ſi his calor admoveatur. Frigus ad vulnus admiſſum ſuppurationem impedit, & ſubinde tetanum cauſat.

3. *Aer ſiccus* ſua ſiccitate ulcerum, & vulnerum ſanationem impedit, vel retardat, ophthalmias & anginas producit.

4. *Aer humidus* perſpirationem cutaneam impediendo & ſolida relaxando ophthalmias chronicas, dolores dentium, rheumaticos tumores cauſat.

5. *Aer heterogeneis repletus*, huc pertinet præſertim aer putridus & pulverulentus.

6. *Aer putridus*, talis evadit aer nosocomiorum a transpiratione putrida ægrotorum, aut ab exhalatione ulcerum putridorum, præsertim gangrænosorum. Vulnera in aere putrido persæpe fiunt gangrænosa. Hinc in putridis nosocomiis omnes fere amputati vel trepanati pereunt.

7. *Aer epidemicus*, qui miasma quoddam fovet, facit bubones pestilentiales, carbunculos, subinde anginam gangrænosam.

8. *Aer pulverulentus* ruborem oculorum & non raro anginam, atque raucedinem facit.

9. *Aer ventosus* seu *ventus*, tempestate ventosa per decussas de domibus tegulas contingunt multa, & gravia capitis vulnera, præsertim in civitatibus populosis. Ventus demum epidermidem siccat, hinc fissuræ labiorum aere ventuoso.

10. *Aer ablatus* ut sub antlia & sub ventosa contingit, enormem intumescentiam in parte vel in toto corpore producit, submersi a defectu aeris moriuntur.

11. *Aer fœtore* vel *exhalatione acri* oculis est nocuus, ophthalmiam infert, ab exhalatione aquæ fortis catarracta est observata. Aer *mercurialis* in cubiculo salivantium scorbuticis pessimam salivationem & alia symptomata movit.

12. *Aer ex nostris partibus extricatus.* Aer nostrarum partium solidarum & fluidarum putredine extricatur: inde emphysema partis gangrænosæ, inde cadaverum intumescentia.

Aer nostris partibus insinuatus. Sic aer vulneribus angustis inflatus totum corpus emphysematosum reddit. Sic etiam aer e pulmonibus, fracta costa læsis, elapsus in telam cellulosam emphysema facit totius corporis.

INGESTA.

Sic vocantur, quæcunque titulo *cibi*, *potus*, *medicamenti*, aut *veneni* in primas vias per os ingeruntur.

Cibi ingesti vel *quantitate* vel *qualitate* morbos inferunt.

Quantitas vel *excedens* vel *deficiens* est.

Quantitas ciborum excedens chylum male elaboratum producit: ideo a nimia voracitate, vulnerum & ulcerum suppuratio nimia, vel pus malum, caro fungosa, vulneris inflammatio.

Voracitas in puerperis lactis depositiones ad extremitates vel mammarum intumescentiam, atque inflammationem causat. In ventriculi & intestinorum vulneribus sola voracitas mortem & in herniosis incarcerationem facere potest.

Quantitas ciborum deficiens seu *jejunium* humores putridos reddit, inde subinde vulnerum, ulcerum mala suppuratio, gangræna, mors. Inde a nimis stricta diæta subinde fracturarum insanabilitas.

Qualitas ingestorum varia habere potest vitia.

1. *Ingesta spirituosa* faciunt *congestionem* in caput, hinc in capitis vulneribus, atque in com-

motione cerebri, nocent : longus ſpirituum ardentium uſus glandulas indurat, & œſophagum adeo anguſtat, ut deglutitio evadat impoſſibilis.

2. *Ingeſta pinguia* relaxando primas vias & peritoneum, herniis dant anſam. Corrupta in ventriculo ſaburram rancidam generant, ex qua chylus rancidus in ſanguinem delatus adipem & medullam oſſium inficit, inde inflammationes, eryſipelata, herpes, ulcera maligna, gangræna, ſpina ventoſa.

3. *Ingeſta glutinoſa* ſaburram glutinoſam & ſimul aceſcentem in primis viis faciunt, ex qua chylus glutinoſus & aceſcens in ſanguinem tranſit. Unde glandularum obſtructiones, articulationum tumores, anchyloſes ſpuriæ, œdemata.

4. *Ingeſta ſalſa* acrimoniam muriaticam & ſcorbutum producunt.

5. *Ingeſta alcalina* gelatinam ſanguinis ſolvunt, hinc vulnerum, ulcerum & fracturarum inſanabilitas, ob ſanguinis tenuitatem variæ hæmorrhagiæ & maculæ lividæ.

6. *Ingeſta acida* pruritum, morbos cutaneos, oſſium mollitiem, rachitidemque generant.

7. *Ingeſta dulcia*, longo abuſu aciditatem humorum, hinc dentes nigros & rhachitidem in infantibus cauſant.

8. *Ingeſta acria* & *aromatica* vulnerum, & ulcerum inflammationem, diu *maſticata* dentium nigredinem & cariem efficiunt.

9. *Ingesta flatulenta* herniosis sæpe incarcerationem herniæ faciunt.

10. *Ingesta frigida* non raro anginam catarrhalem, atque dentium dolorem & *ingesta calida* dentium fissuras & nigredinem causant, *Nimis* vero *calida*, oris, faucium & œsophagi ambustionem faciunt, quæ lethalem œsophagi angustiam relinquit.

11. *Ingesta venenata* pro diversitate veneni varios producunt morbos. Sic panis ex corrupta farina gangrænam siccam in omnibus extremitatibus causavit. Ab ingesto arsenico gangræna partium genitalium visa fuit.

12. *Ingesta dispepta* saburram crudam faciunt, inde sæpe herniarum incarceratio.

13. *Ingesta corpora heterogenea.* In faucibus, vel in cardia vel in pyloro vel circa valvulam Tulpii, vel in exitu intestini recti morari & retineri solent. Per errorem deglutitionis in tubam Eustachianam, in rimam laryngis, in tracheam vel in bronchia se insinuant. In his locis si non illico ægrotum suffocant, inflammationem, abscessum, fistulas & mirum sæpe sibi exitum parant.

MOTUS MUSCULORUM EXCEDENS.

Motus muscularis excessus motum sanguinis accelerat, hinc tumores inflammatorios auget, frigidos inflammat, hæmorrhagiæ obnoxiis nocet. Vulneris, ulceris, fracturæ, luxationisque jam

repoſitæ dimotionem cauſat, & ſanationem impedit.

Huc etiam pertinent *motus ſingulares* quarundam partium, ut

1. *Nixus*, qui in partu, exoneratione alvi vel urinæ, lucta &c. adhibetur, inde bronchocele, herniæ, prolapſus, ophthalmiæ.
2. *Inſpiratio valida*, quæ in inflatione tubarum adhibetur, hernias, & ophthalmias cauſat.
3. *Vomitus & tuſſis* ruborem oculorum, ecchymoſim oculorum, hernias, & *vomitus* rupturam œſophagi, cauſare valet.
4. *Sternutatio* hernias & in trepanatis cerebri expreſſionem e loco trepanato.
5. *Riſus immodicus* ſtrumam colli, congeſtionem ſanguineam in cerebrum & oculos.
6. *Oſcitatio valida*, luxationem maxillæ.
7. *Vociferatio* hernias, *cantus* ruborem oculorum, & anginam.
8. *Saltus* fracturam cruris, luxationem, vel diſtorſionem pedis, genu vel femoris, rupturam hepatis, vel lienis, vel aortæ; commotionem cerebri, rupturam tendinis Achillis.
9. *Ingreſſus diuturnus* genuum rigiditatem & anchyloſim facit.
10. *Divaricatio femorum* herniam.
11. *Bajulatio* diſtorſionem ſpinæ dorſi, varices crurum.
12. *Elevatio ponderum* dolorem lateris, hernias, pulmonocelem, prolapſum.

13. *Lucta* tendinum, & musculorum distorsionem, ligamentorum armillarium rupturam, distorsionem vel luxationem manus, digitorum, cubiti, humeri, producere potest.

QUIES MUSCULORUM EXCEDENS.

Ligamentorum, ac musculorum rigiditatem, & anchylosim facit.

Huc referuntur *posituræ singulares* quorumdam membrorum, ut,

1. *Status* ultra modum protractus, œdemata, varices & ulcera crurum causat.
2. *Situs ineptus* membrorum curvaturas, & gibbositatem procurat.
3. *Sessio*, idem facit, & simul rigiditatem genuum.
4. *Genuflexio* diuturna lupiam in genu producit.
5. *Decubitus* diuturnus inflammationem, excoriationem, & gangrænam in osse coccygi & osse sacro, aut in calcaneo causat, atque calculum in renibus & vesica.

VIOLENTIA EXTERNA.

Violentiæ, quæ morbos infligere solent, sunt,

1. *Scissura*, quæ vulnus scissum.
2. *Punctura*, quæ vulnus punctum facit.
3. *Contusio*, quæ ecchymosim vel vulnus contusum causat.
4. *Morsus*, quo vulnus contusum infertur.
5. *Ruptura*, qua tota membra sæpe e suis articulis evelluntur.

6. *Amputatio*, vel cultro vel globo tormentario facta, defectum membri inducit.

7. *Lapſus*, præſertim a loco altiori oſſium fracturas, luxationes, partium mollium contuſiones, & cerebri aut medullæ ſpinalis commotionem facit.

8. *Globus tormentarius prætervolans* licet partem non tangat, oſſa frangit, luxat, partes molles ambuſtione, vel ecchymoſi afficit, cerebrum commovet.

9. *Globus tormentarius partem tangens* utplurimum illam auffert, raro ſolummodo illam in mollem pultem carneam convertit.

10. *Globus ſclopetarius* noſtro corpori immiſſus partem, vel mediatim vel integre tranſit, vel ſolummodo tangit. Inde varia vulnera & contuſiones ſclopetariæ oriuntur.

11. *Terebratio* foramen lacerum.

12. *Scalptura* excoriationem ſanguineam, dein purulentam, præſertim in cachecticis, & in cruribus ſenum facit.

13. *Tritura.* Huc refertur excoriatio volæ manus a *labore*, aut plantæ pedis ab *itinere*, femorum ab *equitatione*, excoriatio cruenta papillarum mammæ à *ſuctione* violenta infantis.

14. *Extenſio partis.* Hæc vel *ſubitanea* vel *lenta* eſt. Subitanea extenſione ingens dolor, laceratio vaſorum & nervorum fit, inde ecchymoſis, inflammatio, tetanus. Lenta extenſio ſæpe ſine

gravibus ſymptomatibus fertur, ſed ſi cauſa extendens ſubito aufertur, ut aqua in hydrocele, œdemate, aſcite, inde ſæpe gangræna, vel effuſiones ſanguinis ſequuntur.

15. *Contorſio* membri luxationes, fracturas & fractis vaſis ecchymoſim cauſat.

16. *Compreſſio* partis integræ facit gangrænam, arteriæ compreſſio ariduram, venæ compreſſio œdema, nervi compreſſio paralyſim, ariduram producit.

17. *Commotio* eſt concuſſio violenta totius corporis vel unius ſolummodo partis. Sic a ſaltu violento ex magna altitudine totum corpus, a contuſione capitis ſolum caput commovetur. Inde a cerebro commoto varia ſequuntur ſymptomata. Vomitus, abolitio ſenſuum internorum & externorum; a commotione auris ſurditas; a commotione oculi cæcitas obſervata fuit.

FORINSECUS ADMOTA.

Huc referri poſſunt.

1. *Veſtimenta*, quæ vel compreſſione vel materia, qua conſtruuntur, nocent.

Caput *vittis pelliceis* tectum nimium calefit, hoc tegmen congeſtionem ſanguinis in id cauſat, hinc favet pediculorum proventui.

Collum *collari* nimis conſtrictum ruborem oculorum, hæmorrhagiam narium.

Pectus *thoracibus ineptis* compressum gibbositatem, axillarum excoriationem, brachiorum intumescentiam causat.

Crura a *tibialibus lineis* ulcera &

Pedes a *calceis* angustis vel nimium latis clavos contrahunt.

2. *Fasciæ* inepte applicatæ. Partes inflammatæ fasciis nimium constrictæ in gangrænam & sphacelum abeunt. Id in facturis sæpe observatur.

3. *Venena* externe applicata. Sic ab arsenico aut sublimato ulceribus insperso partis gangræna, & mors observata fuit; a venenatæ viperæ morsu partis gangræna, emphysema, non raro mors: a morsu canis rabidi hydrophobia sequitur. Ab unguento ex hyosciami radice ano indito sagarum delirium provenit.

4. *Contagium*: est materia morbosa, quæ ex corpore ægroti in sanum hominis corpus transit. Tale *virus* in cancro, in lue venerea, in carbunculo in peste observatur.

5. *Medicamenta incongrua.* Sic a rancidis unguentis vulnera recentia in ulcera cacoetha degenerant. A calidis pernioni applicatis, gangræna; a pinguibus erysipelati applicatis, ulcus sordidum, vel gangrænosum oritur.

6. *Insecta.* Quædam morsu suo inflammationem latam, vel tubercula inflammatoria excitant, ut vespæ & culices: *pediculi* phtyriasim, *muscæ carnariæ* in vulnera & ulcera suas larvas

deponere ſolent. *Furia infernalis* cutim perforat, & enormes dolores, atque mortem creare poteſt. V. meam *doctrinam de morbis cutaneis.*

7. *Res alienæ corpori immiſſæ* irritant, hinc inflammationes & ſuppurationes faciunt, quibus ſæpe mirum ſibi exitum procurant.

8. *Frigus* ſeu *materia glacialis* facit perniones. V. morbos ab aere frigido.

9. *Ignis* inflammationem, ſuppurationem & gangrænam producit: ignis ſiccus gangrænam ſiccam, ignis humidus, ut aqua ebuliens, veſicas aqua plenas, vel gangrænam humidam facit.

10. *Fulmen*, quod ignis electricus concentratus eſſe videtur, facit miras ambuſtiones, ſugillationes, fracturas oſſium, commotiones cerebri, & nervorum, atque non raro ipſam mortem ſine apparente læſione externa vel interna.

11. *Lux nimia* feriendo retinam amblyopiam, & amauroſim producit.

12. *Radii ſolis.* Ab inſolatione forti lentigines, ephelides, ſubinde bullæ magnæ in facie oriuntur.

13. *Sonus.* Sonum ingentem explofi tormenti bellici ſanguinis profluvium ex aure, auditus difficultatem, & ſurditatem intuliſſe vidi. Sonus ingratus ſtuporem dentibus inducit.

14. *Odor* gravis oculis ruborem, vel inflammationem cauſat.

ARTIFICUM.

Fontes unde artificum morbi promanant, ſunt,

1. *Materia*, quem quilibet artifex tractat, qua inquinatur, quave aerem ſibi circumfuſum inquinat.

2. *Poſituræ*, *motus* aut *manipulationes*, quibus in opere ſuo artifex utitur.

Ruſtici & *Hortulani* per totam æſtatem ſoli urenti expoſiti ab *inſolatione* nigram faciem, & ephelides contrahunt.

Ab *aſſiduo* labore manuali volas manuum *calloſas* ſibi reddunt; ſi ruſtici *panaritio* in digitis afficiuntur, & ſi non cito profunda inciſio fiat, tunc ſæpe gangræna, aut caries phalangum digitalium oritur, epidermis etenim craſſa, & calloſa tumentes partes ſubjacentes oſſibus violentiſſime apprimit, hinc compreſſis nervis, & vaſis gangræna fit, & ob incluſam ſaniem caries.

Litterati ab objectis albis, ut papyro *myopes* fiunt.

Medici & *Chirurgi* a converſatione cum ægris, morbis afficiuntur *contagioſis*.

Docimaſtæ a fuſione metallorum *caliginoſi* & a probatione ferri, illud in aqua exſtinguendo, *amaurotici* evadunt.

Ceruſſarii, qui plumbum vapore aceti incarcerato ſolvunt, corripiuntur *contractura* digitorum, manuum, brachiorum, totius denique corporis cum arthritide fixa.

Cuprarii, ſæpe procedente ætate *virides crines*, ac *dentes*, obtinent, atque communiter ab ictibus mallei *ſurdaſtri* ſunt.

Ferrarii pariter a mallei ictibus ſunt *ſurdaſtri*, a ponderibus elevandis *rigidi* & *herniosi*; & ab igne violento & lucido *lippi* & *cæci*.

Chalibearii a ſedendo ad uſtrinam ſæpe *caliginoſi* fiunt.

Mercurii foſſores dentium *vacillatione*, & *lapſu* laborant.

Jatraliptæ antiquitus *tremorem* ſentiebant *manuum*, unde nunc chirurgi ægrotantes venereos ipſos illitiones mercuriales inſtituere jubent.

Inauratores in amalgamatione, qua argentum obducunt, a mercurio igne aſcendente *paralytici* ſurdi & *muti* evadunt.

Typifuſores, ex fumo antimonii, & ſaturni *manuum ſtupore* & *contractura* vexantur.

Lapicidæ, a pulvillis lapideis oculo, & auribus illatis *ophtalmiam*, & *cophoſim* incurrunt. Veſica in officinis eorum ſuſpenſa, & arte clauſa totum ſæpe pulveris pugillum continet, inde conſtat hunc pulverem eſſe penetrantiſſimum.

Gypſarii ſive *calcarii labia ulceroſa*, cum calx exſtinguatur, & *manus* habent *rugoſas*, ſed vix unquam ſcabioſas.

Figuli affliguntur *contractura* manuum a calcinatione plumbi pro vitrificatione, & *rheumatici* evadunt in manibus pedibusque a calcando argillam frigidam.

Salinarii fiunt *ſcorbutici*, & *lippi*.

Coqui a foco demum laborant *amblyopia*, & tandem *cæcitate*.

Foricarii fere omnes a fœtore ſummo, *lippi* & *cæcutientes* evadunt, atque præ dolore oculorum vix quatuor horas de die laborando tranſigere queunt, ſedentque poſtea per totum diem in loco obſcuro; tepida oculos aqua abluentes. Fætor enim adeo eſt corroſivus, ut vaſa inde argentea, atque cuprea nigreſcant, vixque purgari inde queant. Hinc patet cur matula impura adeo oculis noceat.

Lotrices ſunt *lippientes* a lixivii noxio odore, *œdema* a ſtando in aquis, *paronychiam* a calore & frigore digitorum alterno, & *rhagades manuum* a ſapone habent.

Candelarii a liquefacto ſebi peſſimo fœtore obnoxii ſunt *lippitudini*.

Molitores a rotarum ſono & farina volatili *ſurdaſtri* evadunt.

Piſtores a farina volatili *rauci* fiunt, *manus* plerumque habent *majores*, exercitium enim membrum magnificat.

Artifices crinium adſcititiorum a pulvere *caliginoſi* fiunt.

Cribratores e pulvere, mota fruge, exſurgente *caliginoſi* & ab acaris farinæ *phthiriaſim* & *ſcabiem* contrahunt.

Ædiles a labore ponderoſo *curvi*, a dorſo labore fracto *dolor dorſi* & *femorum*; a ponderibus

preſſo ſanguine minimorum vaſculorum *iſchiadici*, a ſummis ponderibus elevandis *herniosi*.

Bajuli, portando onera, a curvato in fornicem corpore evadunt *curvi*, ut a ponderibus *herniosi*.

Sutores a curvato corpore *curvi*, & *gibbosi* & genibus inflexis *claudicantes* fiunt a continua flexione: his brachia craſſa & thoracis muſculi robuſti; labor enim præcordia firmat.

Sartores incedunt greſſu gradatorio, a compreſſis pedibus ſub ſedendo, dorſoque *curvi* ſunt. Sed etiam puellæ ad arculum acuminatas lacinias conſuendo ſedentes omoplatis diſtentis *gibboſæ* evadunt.

Curſores ſæpe fiunt *herniosi*.

Equiſones evadunt *calculosi* ab exagitatis renibus, *libidinosi* a concuſſione genitalium, *hæmorrhoidarii* a frictione & concuſſione ani.

Cantores fiunt *herniosi*, ut infantes multum ejulantes, & muſici baſſum inflantes; *oculi rubri* a vociferatione fiunt, *raucedo* & *angina* a labore laryngis.

Æditui apud Indos, qui ſtentoria voce horas proclamant, plerumque evadunt *cæci*.

Statarii artifices quemadmodum etiam cubicularii regii, & veterum Haruſpices, qui per totum diem ſtabant, pedes *varicoſos* & demum *œdematoſos* habent.

Artifices ſedentarii ut & *litterati* ab obſtipatione alvi, uti etiam ab angulo recto vaſorum iliacorum ſub ſedendo *hæmorrhoidarii* fiunt.

Omnes

Omnes demum artifices, qui *athmosphæræ fœtidæ* exponuntur, *lippientes* sunt & *cachectici*, hinc in his ulcera difficulter sanantur.

ANIMI PATHEMATA.

Sunt summa cum violentia animo impressæ ideæ, quas involuntarii in corpore sequuntur motus.

Has ideas non *adiaphoria* sed *gaudium* vel *odium* summum excipit. Animi pathemata hinc dividuntur.

in *grata*, quæ fieri cupimus, ut *gaudium* & *amor*.

— *ingrata*, quæ aversamur, ut *ira*, *odium*, *invidia*; *mæror*, *metus*, *terror*, *pudor*.

1. *Gaudium* augendo motum sanguinis, nocet partibus inflammatis & ubi arteria major læsa est: præ nimio gaudio mors contingere potest.
2. *Amor* seu *veneris desiderium*, in utroque sexu congestionem sanguinis versus genitalia causat. Hinc penis & testiculorum inflammationem vel spermatocelem facere vel augere potest.
3. *Ira* augendo motum sanguinis, vulneris inflammationem, hæmorrhagiam ex eo, febrem vulnerariam vehementiorem facere potest. Morsus hominis vel animalis irati rabiem cum hydrophobia induxit. Ira bilem corrumpendo sæpe erysipelas excitat.
4. *Mæror*; nervorum & vasorum imbecillitatem inducendo scirrhos producit & tumores œdematosos.

5. *Metus*, omnes fibras musculares subito reddit laxas, hinc ob sphincterum resolutionem facit involuntariam mictionem, a metu ante operationem jam sensiles ægroti animi deliquiis & post operationem majori inflammatione vulneris afficiuntur.

6. *Terror* producit spasmos musculorum, hinc præsertim in vulneratis tetanum causare potest: cum vasa terrore contrahantur, hinc pauca sub operationibus chirurgicis sæpe hæmorrhagia, quæ aliquot post operationem horas sæpe primum se exhibet. Terror non raro scirrhos producit vel eos in cancrum mutat. Terror demum vulnera levia *per accidens lethalia* reddere potest, cum homines præ terrore a levissimo vulnere observati fuerint mortui.

7. *Pudor* genas rubere facit, hinc sanguinis congestionem in faciem causat.

IMAGINATIO GRAVIDÆ.

Adhuc sub judice lis est, an violenta gravidæ imaginatio *nævum* in fœtu producere possit: Novam etenim partium organicarum non præexistentium formationem, aut earum jam formatarum abolitionem, ab imaginationis vi fieri posse non censeo: etiamsi omnem imaginationis vim in fœtum negare non possimus. Videntur nævi a præternaturali evolutione embrionis formari.

EXERCITATIO NIMIA SENSUUM.

Exercitatio sensuum *externorum* vel *internorum excessu* vel *defectu* peccare potest.

Omnis nimia cerebri exercitatio ut in ſtudio acriori contingit, debilitatem nervorum & congeſtionem ſanguinis ad cerebrum facit. Hinc in vulneribus capitis & morbis oculorum nocet.

Nimia *organi ſenſorii* exercitatio debilitatem relinquit in organo, & congeſtionem ſanguinis in illud facit. Sic a *viſu* nimis intenſo debilitas viſus, rubor oculorum & amauroſis. A longo auditu ſoni nimis ſtreperi ſurdaſtri evadimus.

SOMNUS.

Somnus *excedens* fibras relaxat & pituitoſam humorum diatheſim inducit, hinc ad œdemata diſponit.

VIGILIÆ.

Nimis protractæ oculis nocent, inde rubor eorum.

VIS DIVINA.

Antiqua omnium fere populorum eſt opinio, ab irrato numine exitioſos morbos proficiſci. Durum autem eſt DEUM optimum, qui ſalutem omnium quærit, *generatim* morborum Authorem facere.

VIS DIABOLI *ſeu* FASCINI.

Magos & *ſagas*, ſive homines dari, qui mediante pacto, quod cum diabolo ineunt, morbos hominibus pro libitu facere poſſunt, mera fabula eſt. Morbos enim, quos malevoli homines ſubinde faciunt, naturalibus venenis & artibus inducunt.

MORBI PRÆGRESSI EXTERNI.

Sic a vulneribus vel abſceſſibus ſæpe fiſtulæ, ſic ab eryſipelate ſæpe gangræna oritur.

MORBI PRÆGRESSI INTERNI.

Morbi interni ſæpe ſuam materiam ad varia loca externa deponunt, inde varii tumores critici vel metaſtatici oriuntur.

CAUSÆ PRÆDISPONENTES MORBORUM.

FREQUENTISSIMÆ morborum cauſæ prædiſponentes ſunt.

MALA EVOLUTIO EMBRIONIS.

Evolutio embrionis adhuc in utero exiſtentis variis morbis organicis anſam præbet, prout illa vel nimis præcox, vel nimis tarda vel erronea eſt. Inde origo deformitatum & nævorum.

TEMPERAMENTUM.

Temperamentum ſeu *temperies* eſt peculiaris conſtitutio quoad humores: Huc ergo pertinet.

1. *Temperamentum ſanguineum* in quo ſanguis abundat: Inde inflammationes veræ & ſpuriæ aut hæmorrhagiæ.

2. *Temperamentum phlegmaticum* in quo ſerum & mucus abundat, inde tumores œdematoſi & aquei.
3. *Temperamentum cholericum* in quo bilis abundat, unde eryſipelas, herpes.
4. *Temperamentum melancholicum* in quo ſanguis nigricans picis adinſtar ſpiſſus eſt, unde ſcirrhus & carcinoma atrabilarium.
5. *Temperamentum obeſum* in qua oleum ubique abundat, unde facilis ſuppuratio.
6. *Temperamentum gelatinoſum* in quo gelatina in omnibus humoribus abundat, ut in fœtu & infantibus. Inde nævi & excreſcentiæ.
7. *Temperamentum ſpirituoſum* in quo liquidum nerveum abundat, hinc facile oriuntur ſpaſmi & convulſiones ab illatis vulneribus.
8. *Temperies cacochymica* ſeu *chachectica*, in qua humores quadam acrimonia infecti ſunt, vel diſcraſia laborant. V. *acrimonias* & *diſcraſias*.

IDIOSYNCRASIA.

Eſt propria cuivis corpori conſtitutio, qua homo aliter ſeſe ad quasdam res externas habet, quam alii homines. Pertinet huc lipothymia a conſpectu vulneris, vel felis. Inflammatio cutis ab applicatione medicamenti, quod aliorum hominum cutis ſine noxa fert.

HABITUS CORPORIS.

Eſt peculiaris conſtitutio corporis quoad partes ſolidas: huc revocatur.

1. *Habitus ſenſilis*, in quo nerveum ſyſtema admodum *ſenſile* & muſculoſum admodum *irritabile* eſt. Inde facilis inflammatio, & in vulneratis facilis tetanus aut convulſio.
2. *Habitus inſenſilis*, in quo nerveum ſyſtema *parum ſenſile* & muſculi *parum irritabiles* ſunt, ut in phlegmaticis & melancholicis.
3. *Habitus robuſtus*, in quo fibræ fortes & elaſticæ ſunt, ut in viris & ruſticis.
4. *Habitus debilis*, in quo fibræ teneræ ſunt ut in infantibus.
5. *Habitus rigidus*, in quo fibræ jam rigidæ ſunt, ut in ſenibus & decrepitis.
6. *Habitus mollis*, in quo fibræ molles, laxæ, parum elaſticæ ſunt, ut in fœminis, & infantibus.
7. *Habitus macilentus*, in quo fibræ fortes at ſine multa tela celluloſa ſunt.
8. *Habitus pinguis*, in quo fibræ molles & multa pinguedine involvuntur.
9. *Habitus morboſus* idem eſt, ac *temperies cacochymica.*

ÆTAS.

Quælibet hominis ætas ſuos ſibi proprios patitur morbos.

1. *Ætas infantilis.* Morbi, qui ab ætate infantili provenire cenſentur, ſunt aphthæ, ranula, umbilici inflammatio vel exulceratio, hydrocele, hernia umbilicalis vel inguinalis, ſcabies capitis, cruſta lactea, intertrigo, manationes aurium vel oculorum, gingivarum pruritus vel inflam-

matio, dentitio difficilis, ſpina ventoſa, ſcrophulæ.

2. *Ætas juvenilis*, ob ſanguinis abundantis motum verſus caput, hæmorrhagia narium, angina ſanguinea, & oculorum rubores in juventute obſervantur. Circa tempus *pubertatis* bubones creſcentium & ſpermatocele.

3. *Ætas virilis*, hæc vitæ periodus parit incommoda hæmorrhoidalia, calculum, podagram.

4. *Ætas ſenilis* ob rigiditatem omnium fibrarum, humores acres, atque terreſtres, inducit articulorum rigiditatem, ſpinæ dorſi giboſitatem, auditus gravitatem, viſus hebetudinem, vel cæcitatem, oſſium fragilitatem, vulnerum & contuſionum, præſertim in tibia, degenerationem in ulcera cacoetha.

SEXUS.

Sexus maſculinus morbos peculiares patitur in genitalibus, ut hernias ſcrotales veras & ſpurias, phymoſim, paraphymoſim, teſticulorum inflammationes, indurationes, parorchidium.

Morbi *ſexus fœminei* etiam a diverſis genitalibus, a mammis & ab actionibus huic ſexui propriis, ut a menſtruatione & partu pendent. In *genitalibus* prolapſus, ruptura uteri, vel perinæi: in *mammis* maſtodinia, inflammatio, induratio, cancer.

STRUCTURA PARTIS.

Quælibet noſtri corporis pars ob *ſuam fabricam* ad peculiares morbos, magis quam alia pars, diſpo-

ſita eſt. Sic ſcirrhus eſt glandularum, abſceſſus membranæ adipoſæ frequentiſſimus morbus; ſic ob pinguedinem & putriditatem inteſtini recti ſæpe in ano fiſtulæ oriuntur.

SYMPTOMATOLOGIA.

SEU

DOCTRINA DE SYMPTOMATIBUS MORBORUM.

SYMPTOMA eſt effectus vel phænomenon morbi.

Omne morbi ſymptoma eſt ergo vel læſio actionum noſtri corporis, vel læſio qualitatum viſibilium in quadam noſtri corporis parte.

Dividuntur ſymptomata reſpectu *originis*.

1. in ſymptomata *morbi*, quæ a morbo ipſo
2. — ——————— *cauſæ morbi*, quæ a cauſa morbi
3. — ——————— *ſymptomatum*, quæ a ſymptomatibus morbi.
4. — ——————— *epigenomena*, quæ a novo morbo ſuperveniente oriuntur.

Demum a *tempore apparitionis* dividuntur ſymptomata.

1. in *præcedentia*, quæ morbum præcedunt.
2. — *concomitantia*, quæ ipſum morbum concomitantur

3. in *ſubſequentia*, quæ morbum jam finitum ſequuntur.

Tandem a *ſede* dividuntur ſymptomata
in *externa*, quæ in qualitate viſibili læſa,
-- *interna*, quæ in actione læſa conſiſtunt.

Demum quilibet morbus habet
1. ſymptomata *propria*, quæ morbo propria ſunt, hinc etiam *characteriſtica* & *pathognomica* dicuntur. Et
2. Symptomata *communia*, quæ pluribus morbis communia ſunt.
3. Symptomata *periculoſa*, quæ vitæ periculum faciunt, &
4. Symptomata *non periculoſa*, quæ vitæ periculum non faciunt.

SYMPTOMATA EXTERNA.

Externa morborum ſymptomata ſunt qualitatum viſibilium læſiones.

Huc referuntur fere omnes morbi externi, qui ſymptomata alius morbi externi eſſe poſſunt.

Dolor. Ingrata ſenſatio in quadam parte eſt ſymptoma inflammationis, carcinomatum, tumorum rheumaticorum, ſpinæ ventoſæ, vulnerum dum infliguntur, præſertim nervi læſi, quandoque ulcerum.

Anodynia. Inſenſilitas partis ſenſilis dum dolere deberet, eſt ſymptoma gangrænæ, nervi ligati vel abſciſſi, vel compreſſi.

Calor. Senſatio ardoris in quadam parte eſt ſymptoma inflammationis, & nervi læſi.

Frigus. Senſatio frigoris in quadam parte eſt ſymptoma ſphaceli.

Color morboſus. Color præternaturalis eſt varius, *livor* eſt ſymptoma ecchymoſis, aneuriſmatis ſpurii varicum, gangrænæ, atque ſphaceli. *Nigredo* in necroſi: *Rubor* in inflammatione. *Pallor* in œdemate obſervatur.

Fœtor eſt ſymptoma cancroſi, putridi, vel carioſi ulceris, & gangrænæ, huc pertinet etiam *fœtor oris* a dente carioſo, tartaro dentium, ſcorbuto oris, carbunculo linguæ. *Fœtor aurium* ab ulcere, *fœtor narium* ab ozena, *Fœtor genitalium* ab incontinentia urinæ & alvi.

Pruritus. Senſatio ad ſcalpendum cogens eſt ſymptoma acrimoniæ ſcabioſæ, ulcerum, & quandoque fracturarum diu deligatarum.

Durities. Conſiſtentia *dura* eſt ſymptoma ſcirrhi, & tophi. *Conſiſtentia tenſa* in tumoribus inflammatis & *duriſſima* in exoſtoſi obſervatur.

Mollicies. Conſiſtentia mollis eſt ſymptoma melliceridis. Conſiſtentia *paſtacea* in œdemate & gangræna. *Elaſtica* in tumoribus ſeroſis & enterocele. *Fluctuans* in abſceſſu obſervatur.

Intumeſcentia eſt ſymptoma omnium tumorum tum *calidorum* tum *frigidorum.*

Aridura eſt ſymptoma læſarum arteriarum & nervorum principalium alicujus membri, digiti, ſpinæ ventoſæ & luxationum non repoſitarum.

Inflammatio eſt ſymptoma vulnerum, ulcerum, fracturarum, luxationum, contuſionum.

Emphyſema eſt ſymptoma vulnerum, gangrænæ, fracturæ coſtarum, morſus viperæ venenatæ.

Erythema eſt ſymptoma ulcerum antiquorum, pericranii læſi, cariei latentis.

Ophthalmia eſt ſymptoma omnium fere morborum ocularium, læſionum capitis. *Rubor* oculorum læſo cerebro 7. vel 8. die ſuperveniens, cerebrum ſuppuratum & mortem indicat. *Rubor* oculorum in cancro mammæ vel alius loci, indicat virus cancroſum jam per univerſum corpus eſſe diſperſum.

Gangræna eſt ſymptoma nervorum multum contuſorum, fracturæ comminutæ, luxationis vertebrarum, morſus viperæ venenatæ, arteriæ vel nervi principalis abſciſſi, quorundam vulnerum, ulcerum, tumorum, herniarum.

Suppuratio eſt ſymptoma vulnerum contuſorum, ulcerum, quorundam tumorum ut phlegmones, furunculi.

Gravitas. Gravitas major eſt ſymptoma tumorum induratorum, & inflammatorum.

Levitas. Levitas naturali major obſervatur in emphyſemate.

Siccitas eſt ſymptoma ophthalmiæ ſiccæ.

Humiditas eſt ſymptoma ophthalmiæ humidæ.

Pulſatio eſt ſymptoma inflammationis in ſuppurationem abeuntis, at præcipue aneuriſmatis veri.

Pulſus abolitio. Pulſus in quodam membro abolitus eſt ſymptoma ſphaceli, arteriæ diſſectæ, compreſſæ, vel ligatæ ut poſt operationem aneuriſmatis obſervatur.

Strepitus articulorum eſt ſymptoma ſcorbuti, diſtorſionis manus & pedis atque emphyſematis.

Hæmorrhagia Eſt ſymptoma vulnerum, ulcerum ſcorbuticorum, putridorum, cancri aperti.

Hæmorrhagia narium eſt ſymptoma naſi contuſi, cerebri commoti, evulſi polypi.

Hæmorrhagia aurium eſt ſymptoma cerebri commoti.

Stomacace. Cruentatio gingivarum eſt ſymptoma ſcorbuti gingivalis.

Lymphæ fluxus eſt ſymptoma lymphatici vaſis læſi & tumoris lymphatici aperti.

Seri fluxus eſt ſymptoma vulnerum recentium & ulcerum quorundam fungoſorum.

Puris vel ſaniei fluxus. Eſt ſymptoma ulcerum & vulnerum. *Coryza purulenta* eſt ſymptoma ozenæ, & morbi ſcrophuloſi : *aurifluxus* eſt ſymptoma auris ulceroſæ, capitis contuſi.

Synoviæ fluxus eſt ſymptoma penetrantium vulnerum vel ulcerum articularium.

Proctorrhæa eſt ſymptoma fiſtulæ internæ ani & hæmorrhoidum internarum.

Contractura muſculorum & ligamentorum eſt ſymptoma fracturarum, vulnerum & tumorum articularium.

Atonia ſeu muſculorum, & ligamentorum ingens laxitas eſt ſymptoma diſtorſionis, ſubinde luxationis repoſitæ.

DE SYMPTOMATIBUS INTERNIS.

SYMPTOMATA interna ſunt actionum vitalium, animalium vel naturalium læſiones.

SYMPTOMATA ACTIONUM VITALIUM.

Hæc ſunt læſiones pulſus, motus cordis aut reſpirationis.

SYMPTOMATA PULSUS.

Pulſus parvus, tardus & intermittens eſt ſymptoma hæmorrhagiæ internæ vel externæ, gangrænæ, mortis.

Pulſus crebrior & durior eſt ſymptoma febris & inflammationis. Hinc ſymptomata *febrilia & inflammatoria* huc pertinent.

Symptomata febrilia.

1. *Febris inflammatoria* eſt ſymptoma, quod tumores inflammatorios vel præcedit vel comitatur, vel ſequitur. Demum ſub nomine *febris vulnerariæ* vel *ſuppuratoriæ* eſt ſymptoma vulnerum, contuſionum validarum & fracturarum inflammatione complicatarum.

2. *Febris putrida*, eſt febris a tabo putrido abſorpto. Eſt ſymptoma gangrænæ, ulceris putridi, vel carioſi. Vulnerati & ulceroſi in aere putrido

nosocomiorum facilius quam sani febre putrida corripiuntur.

3. *Febris biliosa*, a bile putrida oritur, hinc erisipelatis, vulneratorum, & ulceratorum sæpe comes est.

4. *Febris lenta*, quæ corpus lente emaciat. Est symptoma abscessuum diu clausorum, magni vulneris vel ulceris, multum puris quotidie fundentis, ac præcipue cancri atque tumoris lymphatici aperti.

5. *Febris intermittens*, quæ periodice quotidie, vel omni altero aut tertio die recurrit, non est symptoma morbi externi. At cum vulnerati a vitio diætæ facilius quam sani febre intermittente afficiantur, hinc subinde morbi externi symptoma epigenomenum est.

Symptomata inflammatoria.

1. *Phrenitis.* Inflammatio membranarum cerebri, quæ ex febre inflammatoria & feroci delirio noscitur, est symptoma capitis contusi, vulnerati, subinde auris inflammationem, vehementem odontalgiam, ac panaritium sequitur.

2. *Cephalitis.* Cerebri inflammatio est symptoma cerebri contusi, vulnerati aut cranio compressi.

3. *Cynanche.* Pharyngis vel laryngis inflammatio corpora heterogenea in faucibus vel larynge diu hærentia comitatur.

4. *Pleuritis.* Inflammatio musculorum intercostalium ac pleuræ est symptoma, quod thoracis contusiones, fracturas costarum vel sterni sequi solet.

5. *Peripneumonia.* Pulmonum inflammatio, vulnera hujus viſceris, atque fracturas coſtarum non raro excipit, ſubinde cynanche in inflammationem pulmonum tranſit.

6. *Diaphragmaticis.* Diaphragmatis inflammatio vulnera & contuſiones diaphragmatis excipit.

7. *Carditis.* Cordis inflammatio eſt ſymptoma vulnerum ſuperficialium cordis.

8. *Gaſtritis.* Ventriculi inflammatio eſt ſymptoma contuſionum, vulnerumque ventriculi, gaſtroceles incarceratæ, & ſubinde aciculæ deglutitæ.

9. *Enteritis.* Inteſtinorum inflammatio eſt ſymptoma contuſionum, atque vulnerum inteſtinalium, enteroceles incarceratæ, nec non deglutitorum corporum acutorum.

10. *Epiploitis.* Omenti inflammatio eſt ſymptoma contuſionum ac vulnerum omentalium, epiploceles incarceratæ & omenti per vulnus elapſi vel compreſſi aut arte ligati.

11. *Hepaticis.* Hepatis inflammatio eſt ſymptoma hepatis contuſi, rupti, vel vulnerati, ſub in cerebri commotionem & vulnera cerebri ſequitur.

12. *Splenitis.* Splenis inflammatio eſt ſymptoma ſplenis contuſi, vel vulnerati, etiam aliquando cerebri vulnera ſequitur.

13. *Nephritis.* Renum inflammatio eſt ſymptoma renis contuſi vel vulnerati.

14. *Cyſtis.* Veſicæ urinaræ inflammatio eſt ſymptoma veſicæ contuſæ, vel vulneratæ, & non

raro iſchuriæ, rudis lithotomiæ, atque cyſtoceles incarceratæ.

15. *Metritis.* Uteri inflammatio eſt ſymptoma uteri contuſi, vulnerati, aut in partu rupti, nec non operationis cæſareæ.

16. *Myoſitis.* Muſculorum inflammatio eſt ſymptoma contuſionum, vulnerum fracturarum, & amputationum.

SYMPTOMATA ACTIONIS CORDIS.

1. *Lipothymia* vel *ſyncope* ſeu actionum vitalium apparens ceſſatio eſt ſymptoma hæmorrhagiæ externæ vel internæ, timoris ante venæſectionem vel operationem chirurgicam, gangrænæ; ulceris antiqui ſanati, cordis læſi.

2. *Aſphyxia*, mors apparens eſt ſymptoma ſuſpenſorum, congelatorum, aquæ immerſorum, partu difficili natorum.

3. *Palpitatio cordis.* Eſt ſymptoma cordis læſi & dein aneuriſmatici, ſubinde ex metu ſub operationibus chirurgicis miſere ægrotis cor palpitat.

SYMPTOMATA RESPIRATIONIS.

Orthopnæa. Reſpiratio ſuffocativa eſt ſymptoma hydrothoracis, empyematis, ſemideglutiti boli vel corporis heterogenei in œſophago, vel trachea hærentis, ſtrumæ magnæ colli, vulnerum penetrantium thoracis cum effuſione ſanguinis vel aeris complicati, pulmonis, diaphragmatis, nervi phrenici læſi, impreſſæ cartilaginis enſiformis, aſcitis, gibofitatis.

Empyema.

Empyema. Puris effusio in cavum thoracis est symptoma abscessus thoracici, læsi vel contusi pulmonis.

SYMPTOMATA ACTIONUM ANIMALIUM.

SUNT læsiones sensuum externorum, internorum, somni & motus voluntarii musculorum.

SYMPTOMATA SENSUUM EXTERNORUM.

Amaurosis est symptoma læsi nervi superciliaris, cerebri vel oculi contusi, aut vulnerati, atque morborum sinuum frontalium.

Amblyopia est omnium fere morborum ocularium symptoma.

Photophobia seu intolerantia lucis, est symptoma ophthalmiæ præsertim internæ.

Cophosis. Surditas & auditus difficultas, contusionis aurium & omnium fere morborum organi auditorii est symptoma.

Agheustia. Gustus abolitus, est symptoma linguæ paralyticæ.

Anosmia. Odoratus abolitus, est symptoma ozenæ, polypi.

Anæstesia. Tactus abolitus seu *insensilitas*, est symptoma nervi sensorii abscissi, ligati, compressi, aut gangræna destructi.

Stupor. Senſatio imminuti tactus, eſt ſymptoma præcedens gangrænam, necroſim, oritur etiam a nervo ligato vel compreſſo.

Formicatio ſeu ſenſus formicationis, eorundem morborum, ut ſtupor, eſt ſymptoma.

Dolores & ſenſationes ingratæ.

Cephalalgia. Capitis dolor, eſt ſymptoma contuſionum capitis, tophi & cariei in cranio.

Hemicrania. Dolor dimidii capitis, eſt ſymptoma ophthalmiæ, odontalgiæ & morborum qui in ſinubus pituitariis oſſis frontis locantur.

Pleurodine. Thoracis dolor non inflammatorius, eſt ſymptoma empyematis externi, contuſi thoracis, nixus vehementis.

Cardialgia. Dolor ventriculi, eſt ſymptoma gaſtroceles, cartilaginis enſiformis impreſſæ, epigaſtrii contuſi.

Colica. Dolor inteſtinorum, eſt ſymptoma herniæ incarceratæ, adominis contuſi.

Hepatalgia. Dolor in regione hepatis, eſt ſymptoma intumeſcentis veſiculæ felleæ, aut abſceſſus in hepate.

Nephralgia. Dolor in rene, eſt ſymptoma calculi renalis, qui ſubinde per abſceſſum in lumbis erumpit.

Hyſteralgia. Dolor in utero, eſt ſymptoma calculi, polypi, cancri in utero vel vagina latentis.

Maſtodinia. Dolor mammæ eſt ſymptoma cancri vel inflammationis, aut lactis abundantis in mamma.

Arthritis. Dolor articuli eſt, ſymptoma tumorum, vulnerum, ulcerumque articularium.

Oſtocopus. Dolor in ipſo oſſe, eſt ſymptoma ſpinæ ventoſæ, cancri, tophi, ſarcoſtoſis.

Rheumatiſmus. Dolor muſculorum, eſt ſymptoma præcedens necroſim.

Anxietas. Eſt ſymptoma morſus venenatæ viperæ.

Laſſitudo. Senſatio ingrata debilitatis, eſt ſymptoma vulneratorum, ſcorbuti & morborum a contagio, ut luis venereæ.

Pruritus. Senſatio ad ſcalpendum cogens, eſt ſymptoma ulcerum, impetiginis, fracturarum diu faſciis non denudatarum.

Frigus eſt ſymptoma hæmorrhagiæ, ſupurationis & gangrænæ.

Calor eſt ſymptoma febris, quæ tumores calidos comitatur.

SYMPTOMATA SENSUUM INTERNORUM.

Sunt depravationes, imaginationis aut memoriæ abolitiones.

1. *Delirium* eſt ſymptoma hæmorrhagiæ magnæ, cerebri læſi, & ingentis doloris.
2. *Rabies* ſeu deſiderium mordendi, eſt ſymptoma morſus ab animali rabido inflicti.
3. *Hydrophobia* ſeu potulentorum immanis averſatio, eſt frequens ſymptoma vulnerum a cane rabido inflictorum.
4. *Tarantiſmus* ſeu effræne ſaltandi deſiderium, dicitur ſymptoma quod morſum tarantulæ ſequi-

tur. At nondum experimenta docuere ictum tarantulæ hoc ſymptoma facere.

5. *Vertigo.* Apparens gyratio objectorum, eſt ſymptoma hæmorrhagiæ magnæ & cerebri commoti.

6. *Stupiditas* eſt ſymptoma læſionum capitis.

7. *Amneſia* ſeu oblivio omnium fere idearum, eſt ſymptoma cerebri læſi.

SYMPTOMATA SOMNI.

Sopor. Somnus vix excitabilis, eſt ſymptoma cerebri ab effuſo ſanguine vel impreſſo cranio affecti, hydrocephali interni, iſchuriæ, ulceris ſubito exſiccati.

Typhomania. Somnus apparens cum delirio, eſt ſymptoma cerebri a læſione irritati, etiam morſum ſcolopendræ martinicanæ ſequitur.

Agrypnia. Pervigilium immodicum, omnis ingratæ ideæ & vehementis doloris, præſertim nocturni eſt ſymptoma.

Panophobia. Pavor in ſomno, eſt ſymptoma, quod oſſium fracturas, hydrocephalum internum, & morſum canis rabidi ſæpe comitatur.

SYMPTOMATA MOTUS MUSCULARIS.

Muſculorum actio ſpaſmo vel paralyſi, vel depravatione peccare poteſt.

Spaſmi dividuntur in *tonicos* & *clonicos* ſeu *ſpaſmos* & *convulſiones.*

Spaſmi ſunt involuntariæ & conſtantes muſculorum contractiones: *convulſiones* ſunt involuntariæ & reciprocæ muſculorum agitationes.

Spaſmi.

Tetanus. Eſt muſculorum univerſi corporis contractio tonica, qua corpus totum ſtatuæ adinſtar ligneæ extenſum manet, aut vel antrorſum vel poſtrorſum, vel ad latus curvatur.

Eſt ſymptoma cerebri vel muſculi temporalis læſi, nervi contuſi, ligati, extenſi, vellicati, aut cauſtico tacti. Hinc capitis contuſiones, vulnera, amputationes, ligaturas funiculi ſpermatici, undationes nervorum, carioſos dentes, & luxationes cum articulis ruptis complicatas ſæpe ſequitur, præſertim in hominibus valde irritabilibus, climatibus calidis, atque noſocomiis putridis.

Crampus ſeu ſpaſmus cruris, eſt ſymptoma varicum in cruribus.

Spaſmus maxillæ, eſt ſymptoma anginæ tonſillaris & prodromus fere perpetuus appropinguantis tetani univerſalis.

Spaſmus faciei ſeu *riſus ſardonius*, ſubinde læſionem nervi diaphragmatici ſequitur.

Convulſiones.

Convulſio eſt agitatio involuntaria muſculorum totius corporis.

Eſt ſymptoma, quod vulnera cerebri, medullæ ſpinalis & puncturas nervorum ſequitur: nec non hæmorrhogias magnas, & acerbiſſimos dolores: ut odontalgiam, otalgiam, dentitionem, calculum, demum cariem internam cra-

nii, vertebræ, ſpinam bifidam digito preſſam; hydrocephalum internum. Vulnerati, aeri nimis frigido expoſiti, facile tetano vel convulſione corripiuntur.

Nyſtagmus ſeu convulſio palpebrarum & bulbi ocularis; eſt ſymptoma ophthalmiæ.

Triſmus ſeu ſtridor dentium, eſt ſymptoma acerbiſſimi doloris.

Epilepſia. Eſt convulſio periodica totius corporis: eſt ſymptoma exoſtoſis vel cariei internæ cranii, vel vertebræ, cerebi commoti, ulceris antiqui ſubito ſanati.

Horror eſt ſymptoma inflammationis incipientis, & in ſuppurationem abeuntis.

Tremor. Eſt ſymptoma capitis contuſi & terroris, quo ægroti jam ante & ſub operatione afficiuntur.

Sternutatio. Eſt ſymptoma ophthalmiæ catarrhalis, evulſi polypi.

Oſcitatio eſt ſymptoma ophthalmiæ periodicæ, hæmorrhagiæ.

Singultus eſt contractio invita diaphragmatis cum inſpiratione ſonora ſubito interrupta: eſt ſymptoma hæmorrhagiæ, iſchuriæ, gangrænæ, anginæ aphtoſæ, cerebri, diaphragmatis, ventriculi vel inteſtini vulnerati, aut contuſi, herniæ incarceratæ, vertebræ fractæ, cartilaginis enſiformis impreſſæ.

Tuſſis eſt concuſſio ſonora pectoris. Eſt ſymptoma corporis heterogenei in tracheam illapſi, puris

vel ſaniei ex ulcere abſorpti & ad pulmones depoſiti.

Paralyſes.

Apoplexia. Eſt paralyſis omnium muſculorum voluntariorum cum reſpiratione ſtertoroſa & ſopore non excitabili. Eſt ſymptoma cerebri læſi, extravaſato ſanguine vel impreſſo cranio compreſſi.

Paralyſis. Eſt membri unius laxa immobilitas, eſt ſymptoma nervi diſſecti, compreſſi, ligati, vel cerebri commoti, aut compreſſi.

Hemiplegia. Paralyſis in uno tantum latere; dextro vel ſiniſtro, eſt ſymptoma cerebri commoti vel compreſſi.

Paraplegia. Paralyſis totius corporis infra caput, vel artuum inferiorum, eſt ſymptoma vertebræ luxatæ, fractæ, medullæ ſpinalis læſæ vel commotæ.

Debilitas membrorum totius corporis, eſt ſymptoma hydrocephali interni, ſpinæ bifidæ, morſus venenati & contagii qualiſcunque, ut venerei, ſcorbuti, gangrænæ.

VOCIS SYMPTOMATA.

Aphonia. Impotentia loquendi, eſt ſymptoma nervi recurrentis laryngei abſciſſi, compreſſi, vel nimium diſtracti, ut in ſuſpenſis fit, demum vulneratæ tracheæ, thoracis, linguæ penitus abſciſſæ, tetano affectæ.

Pſelliſmus. Eſt impotentia quasdam ſyllabas recte pronuntiandi; eſt ſymptoma linguæ deformis, defi-

cientis linguæ, uvulæ, veli palatini, dentium, labii leporini, palati fissi, ranulæ, capitis contusi.

Cacophonia. Est vocis insuavitas. Vox *nasalis*, est symptoma polypi nasalis, ozenæ, angustiæ foraminum posticorum nasi, deficientis uvulæ. Vox *sibilans*, est symptoma anginæ polyposæ ac laryngeæ. Vox *rauca*, est symptoma anginæ catarrhalis, coryzæ, uvulæ relaxatæ.

SYMPTOMATA ACTIONUM NATURALIUM.

Sunt læsiones appetitus, sitis, masticationis, deglutitionis, chylificationis, sanguificationis, nutritionis, secretionum & excretionum.

SYMPTOMATA APPETITUUM NATURALIM.

Anorexia. Appetitus deficiens, est symptoma gravis doloris, febris vulnerariæ, hæmorrhagiæ, vesiculæ felleæ vel ventriculi læsi.

Nausea. Ciborum fastidium, est symptoma cerebri commoti.

Adipsia. Sitis defectus, est symptoma anginæ paralyticæ.

Polydipsia. Ingens bibendi desiderium, est symptoma vulneratorum, inflammationum, gangrænæ.

Satyriasis. Ingens coeundi cupiditas cum libidinosa penis erectione, est symptoma gonorrhææ virulen-

tæ, hydrophobiæ, ſuſpenſorum, cantharidum applicatarum.

Anaphrodiſia. Abolitio libidinis cum impotentia membrum erigendi, eſt ſymptoma lapſus in lumbos vel os ſacrum, teſticulorum induratorum.

Teneſmus alvi, eſt frequens alvum deponendi deſiderium: eſt ſymptoma calculi, veſicæ inflammatæ, vel inteſtini recti inflammati, hæmorrhoidis dolentis, fiſtulæ ani, præſertim poſt operationem.

Teneſmus veſicæ ſeu frequens mingendi cupiditas: eſt ſymptoma dyſuriæ. V. *dyſuria.*

SYMPTOMATA DIGESTIONIS.

Maſticatio læſa, eſt ſymptoma maxillæ luxatæ, fractæ, dentium vacillantium, deficientium, dolentium, paralyſis & tetani maxillæ, muſculorum buccarum & maxillæ vulneratorum, ulceratorum, palati fiſſi, labii leporini, ranulæ.

Deglutitio læſa, ſeu *Dyſphagia* eſt ſymptoma tetani, hydrophobiæ, œſophagi paralytici, tumorum intra vel extra œſophagum locatorum & illum comprimentium, corporum deglutitorum in œſophago hærentium, œſophagi rupti, oſſis hyoidis luxati, bronchoceles, polypi œſophagei vel e naribus in fauces pendentis. Demum anginæ inflammatoriæ, ſuppuratoriæ, ſcirrhoſæ, venereæ, ſcorbuticæ, œdematoſæ, aneuriſmaticæ, paralyticæ, ſpaſmodicæ, catarrhalis.

Dyſpepſia ſeu digeſtio ciborum impedita vel imminuta, eſt ſymptoma malæ digeſtionis, ventriculi vul-

nerati, herniæ ventricularis & inteſtinalis, vulneratæ veſiculæ felleæ, aut ductus hepatici.

SYMPTOMATA SANGUIFICATIONIS.

Cachexia ſeu mala ſanguificatio, eſt ſymptoma hæmorrhagiæ, ulcerum, omnium acrimoniarum, ſcrophularum, ſcorbuti, luis venereæ, necroſis & diſpepſiæ.

Icterus ſeu cachexia *bilioſa*. Eſt ſymptoma iræ, morſus viperæ vel animalis rabidi.

Anaſarca. Aquoſa corporis intumeſcentia, eſt ſymptoma hæmorrhagiæ prægreſſæ; ulcerum ſubito exſiccatorum vel nimis fluentium, urinæ diu retentæ.

SYMPTOMATA NUTRITIONIS.

Tabes ſeu macies totius corporis cum febre lenta, at ſine tuſſi & anacatharſi puris. Eſt ſymptoma omnis magni ulceris, ſcrophularum, cancri, herniæ ventricularis, læſionis ductus thoracici, magnæ hæmorrhagiæ prægreſſæ.

Phthiſis. Macies totius corporis cum febre lenta, tuſſi & anacatharſi puris. Eſt ſymptoma contuſi vel ex vulnere ſuppurati pulmonis, ulcerum ſubito ſanatorum, quorum materies ad pulmones deponitur, abſceſſus diu non aperti.

SYMPTOMATA SECRETIONIS.

Huc pertinent profluvia & retentiones excretionum.

Profluvia ſanguinea.

Hæmoptyſis. Sanguinis ſpumoſi expectoratio, eſt ſymptoma vulnerati pulmonis, contuſi thoracis.

Hæmatemesis. Vomitus cruentus, est symptoma ventriculi vulnerati, contusi, hirudinis deglutiti.

Hæmaturia. Mictus cruentus, est symptoma vesicæ aut renis vulnerati, contusi, elevati ponderis, calculi vesicæ, hæmorrhoidum.

Metrorrhagia. Hæmorrhagia uterina est symptoma uteri vulnerati, contusi, præsertim in gravidis, polypi uterini.

Diarrhæa cruenta est symptoma intestinorum vulneratorum, abdominis contusi.

Fluxus hæmorrhoidalis est symptoma tuberculi hæmorrhoidalis, polypi & cancri intestinalis.

Profluvia non sanguinea.

Vomitus est symptoma cerebri commoti, diaphragmatis vulnerati, herniæ incarceratæ, ventriculi contusi, ischuriæ renalis.

Ileus seu vomitus fæcum intestinalium cum obstructione alvi, est symptoma herniæ incarceratæ, intestini recti coarctati.

Diarrhæa. Frequens alvi dejectio, est symptoma abscessus diu clausi, ulcerum, abscessuum, vulnerum, e quibus pus absorbetur, ischuriæ, essentiæ aloes externe vulneri diu applicatæ.

Ptyalismus. Salivæ copiosa excretio, est symptoma maxillæ luxatæ, fractæ, ductus salivalis læsi, ulceris in ore, dentis acuti irritantis, ischuriæ, applicatorum externe mercurialium. Ptyalismus *purulentus*, est symptoma ulceris in auribus, naribus, faucibus.

Anacatharsis. Expectoratio puris e pulmonibus, est symptoma vulnerati pulmonis, contusi thoracis, empyematis.

Diabetes. Nimia urinæ dejectio, fuit symptoma contusionis lumborum.

Enuresis. Involuntaria urinæ emissio, est symptoma vertebræ luxatæ, polypi uterini vel vaginalis, uteri prolapsi, cystoceles, fistulæ vesicæ urinariæ, lithotomiæ, partus difficilis.

Incontinentia alvi est symptoma vertebræ lumbalis luxatæ, vel fractæ, medullæ spinalis læsæ vel commotæ, cancri vel nodorum in intestino recto, sphincteris ani, in lithotomia vel operatione fistulæ ani dissecti.

Pyuria. Mictio materiæ purulentæ vel mucosæ, est subinde symptoma calculi, hæmorrhoidum, renum vel vesicæ vulneratæ, vel contusæ, puris ex abscessu absorpti.

Leucorrhœa. Fluor albus ex vagina vel utero, est symptoma ulceris vel cancri in utero vel vagina, polypi vaginalis, prolapsus uteri.

Gonorrhœa. Fluor muci puriformis ex urethra, est interdum symptoma calculi vesicæ, cereoli in urethram applicati, ulceris in urethra, phymosis.

Flatulentia. Aeris oberratio in intestinis, ructus & flatus est symptoma hernioforum.

Ædopsia seu flatus emissio per urethram vel vaginam, est symptoma fistulæ ani in vesicam vel vaginam penetrantis.

RETENTIONES EXCERNENDORUM.

Ischuria. Urinæ retentio vel in urethra vel in renibus.

Ischuria *urethralis* est symptoma calculi, vel carunculæ in urethra hærentis, tumoris in perinæo, vel intra vesicam & intestinum rectum, urethræ contractæ, inflammatæ, cervicis vesicæ spasmo contractæ, vesicæ paralyticæ, penis œdematosi, præputii concreti.

Ischuria renalis est symptoma renis inflammati, contusi, ob vesicam læsam spasmo affecti, ut post lithotomiam interdum videre est.

Dysuria. Dolorifica vel ardens mictio, est symptoma calculi, hæmorrhoidis inflammatæ, gonorrhææ virulentæ recentis, subinde cantharidum externe applicatarum.

Dysmenorrhagia seu suppressio menstruorum est symptoma orificii uterini, vel vaginæ vel vulvæ concretæ.

Obstipatio alvi est symptoma intestini recti concreti; polyposi, intestini aut vesiculæ felleæ vulneratæ, herniæ incarceratæ.

SEMIOTICA

SEU

DOCTRINA DE SIGNIS MORBORUM.

SIGNUM est phænomenon seu apparitio, qua morbi præsentis vel præteriti vel futuri conditionem noscimus.

Dividuntur ſigna morborum

1. in ſigna *diagnoſtica*, quæ morbi ſtatum præſentem.
2. — —— *anamneſtica*, quæ morbi ſtatum prægreſſum.
3. — —— *prognoſtica*, quæ morbi ſtatum futurum indicant.

Signa diagnoſtica iterum ſubdividuntur in *propria*, *communia* & *epigenomena*.

Signa prognoſtica dividuntur in *bona*, *æquivoca* & *mala*.

DIAGNOSIS MORBORUM.

Eſt ſcientia, quæ ſigna tradit, quibus morbus præſens noſci & ab aliis diſtingui poſſit. Sic

Signa morbi præſentis, adminiculo ſenſuum externorum, ſano ratiocinio, & analogia, eruuntur.

1. *Tactu*, qui vel digito vel inſtrumentis, ut ſtilo aut cathetere exercetur, noſcimus vulnerum & ulcerum profunditatem, directionem, latentem calculum in veſica, luxata & fracta oſſa, tumorum duritiem, mollitiem, fluctuationem, pulſationem, calorem vel frigus &c.
2. *Auditu* percipimus ſtrepitum oſſium in fracturis, ſtrepitum aeris in emphyſemate.
3. *Odoratu* noſcimus putredinem gangrænoſam, & in vulnere inteſtinorum craſſorum aut veſicæ, fœcum urinæque fœtorem.
4. *Guſtu*. Sic amarus humor e vulnere abdominali effluens indicat veſiculam bilis eſſe læſam.

5. *Visu* externam morborum faciem noscimus, ut vulnerum & ulcerum magnitudinem: tumorum colores & volumen. Ex visu humorum e vulnere fluentium de internarum partium læsione reddimur certi. Sic ex fœce per vulnus abdominis effluente judicamus de læsione intestini crassi.

6. *Ratiocinio*, quo ex symptomatibus morbi, ex actione causarum morbificarum & ex actione juvantium & nocentium naturam morbi indagamus.

7. *Analogia* morbos minus cognitos cum cognitis comparamus.

8. *Motus* demum *automaticus* & *dolor* in plurimis morbis sedem mali monstrant.

Cujuslibet morbi signa in *propria*, *communia* & *epigenomena* dividuntur.

Proprium morbi *signum*, quod etiam *pathognomicum* & *characteristicum* dicitur est illud morbi signum, quo morbus ab omnibus aliis differt. Sic pulsatio est aneurismatis veri, fovea digiti impressi est œdematis, strepitus telæ cellulosæ, est emphysematis signum pathognomicum.

Subinde ex uno subinde ex pluribus simul sumptis signis eruimus signum pathognomicum morbi. Dantur demum casus, qui nullum signum pathognomicum habent, hinc nulla arte humana detegi possunt: sanguis sub cranio effusus quandoque tale exemplum exhibet.

Commune morbi *signum* vocatur illud, quod pluribus morbis commune est: sic dolor plurium tum calidorum tum frigidorum tumorum signum est.

Epigenomenum vocatur *ſignum*, quod alium morbum præſenti vel ſupervenientem vel præcedentem adeſſe indicat. Sic febris intermittens vulneri ſuperveniens exhibet ſymptoma epigenomenum.

ANAMNESIS MORBORUM.

Eſt ſcientia, quæ ſigna tradit, quibus morbi cauſam detegimus.

Cauſa proxima morbi eruitur 1. ex morbi indole, 2. ex nota actione cauſæ excitantis ſeu remotæ, 3. ex præſentia cauſæ prædiſponentis.

Cauſa *excitans*, ſi morbus violentiæ vel aliæ cauſæ externæ originem debet, ex ægroti relatione patet; ſi vero morbus a cauſa interna, quam ægrotus ignorat, ortum habet, examinet chirurgus oportet omnes cauſas internas, quæ alias morbo huic anſam dare valent.

Hinc examen 6. rerum nonnaturalium & morborum prægreſſorum, anamneſim morborum pro maxima parte conſtituit.

PROGNOSIS MORBORUM.

Eſt ſcientia, quæ ſigna tradit, quibus futurus morbi ſtatus prædicitur.

Signa prognoſtica dividuntur
in *bona*, quæ vitæ & ſanationis ſpem faciunt.
— *æquivoca*, quæ nec periculum nec ſanationis difficultatem
— *mala*, quæ periculum vitæ vel ſanationis difficultatem indicant.

Ex

Ex his ſignis prædicitur.

1. *Morbi exitus* vel in ſanitatem, vel in alium morbum, vel in mortem.
2. *Morbi ſanatio* vel difficilis vel facilis, vel impoſſibilis.

Sapientis eſt viri in caſibus dubiis non certo, ſed probabiliter prædicere.

Exitus, & ſanatio cujuslibet morbi in *pathologia ſpeciali* traditur.

THERAPIA.

SEU

DOCTRINA DE CURATIONE MORBORUM.

DE CURATIONE MORBORUM GENERATIM.

CURATIO eſt ablatio cauſæ proximæ morbi.

Ablatio cauſæ vel viribus naturæ vel adminiculis artis peragitur, hinc morbi curatio vel *naturalis* vel *artificialis* eſt.

Vires naturæ medicatrices, ſunt potentiæ ſolidis & fluidis inſitæ, quibus natura morbos impedire, vel curare valet. Huc maximæ pertinet.

1. *Vis conſolidans*, quæ vulnera, ulcera & fracturas ſanat.

2. *Vis ſuppuratoria*, quæ cruda, obſtructa, acria; gangrænoſa, carioſa, heterogenea, a partibus ſanis ſeparat.

3. *Vis abſorbens*, quæ effuſum ſanguinem; ſerum, lympham, & alios humores in vaſa abſorbentia trahit, & ſic ecchymoſes, hydropes, & alios tumores feliciter curat.

4. *Vis excernens*, quæ humores per cutem, renes, inteſtina, ulcera artificialia vel tumores metaſtaticos, & criticos eliminat.

5. *Vis motus vitalis aucta*, qua ſæpe tumores ab obſtructione nati ſua ſponte reſolvuntur.

6. *Vis motus vitalis imminuta*, qua ſæpe hæmorrhagiæ periculoſiſſimæ, inducto animi deliquio, ſponte ſiſtuntur.

7. *Appetitus* demum *peculiaris* non raro medicamen ſalubre indicavit, quo morbus profligatus fuit.

Plurima autem *pars* virium medicatricium nobis adhuc ignota eſt.

Multi demum morbi ſine medicamentis a *vi rerum naturalium*, ut aere, cibo, potu, animi pathemate, quiete, motu, demum ab ætate, conſuetudine, mutata temperie, climate &c. ſine medicamentis ſanantur.

Adminicula, quibus *ars* morbos ſanat, ſunt triplicia: *Diæta*, *Medicamenta*, & *inſtrumenta*, hinc artificialis therapia dividitur.

1. in *hygienem*, quæ victu & regimine rerum naturalium.

2. — *pharmaceuticam*, quæ medicamentis externis & internis.

3. — *chirugiam*, quæ manu, fasciis & instrumentis morbos curat.

Cum denique omnis morbus vel præcaveri, vel integre curari, vel solummodo pro parte curari possit, hinc dividitur curatio morborum.

1. in curationem *prophylacticam*, quæ morbos præcavere,

2. ——————— *palliativam*, quæ morbi symptomata minuere,

3. ——————— *radicalem*, quæ morbum integre sanare docet.

Methodus medendi: est norma, quæ regulas tradit, quibus curatio morbi fieri possit.

Ut autem hæc *norma*, seu *methodus medendi* inveniatur, bene inquirat chirurgus, quale in morbo, quem curandum suscipit, sit

1. *Indicans*, quod morbi ablationem petit,

2. *Indicatio*, qua morbus aufferri possit,

3. *Indicatum*, quod morbum aufferre valet: & an non adsit

4. *Contraindicans*, seu conditio, quæ indicatum adhibere prohibet.

Indicans, est causa proxima morbi, quæ aufferri debet.

Indicatio, est actio remedii, qua morbus auffertur.

Indicatum, est remedium ipsum seu instrumentum, quod indicatam vim morbum aufferendi habet.

Contraindicatio, est conditio morbi, vel indicati curationi contraria.

Dividitur demum omnis methodus medendi ſeu curatio morbi.

1. in *curationem rationalem*, quæ juxta indicationes inſtituitur.
2. ——— *empyricam*, quæ ſine indicatione peragitur.

Curatio *rationalis* ſolummodo in morbis, quorum indoles nota eſt, inſtitui poteſt.

——— *empyrica* in illis morbis, quorum indoles nondum innoteſcit, adhiberi debet. Hinc in his medicamenta ſpecifica empyrice damus.

DE CURATIONE MORBORUM SPECIATIM.

Morbi ſeu cauſæ proximæ morborum ſequentibus remediis, & inſtrumentis auferuntur.

CURATIO MORBORUM SIMPLICIUM IN PARTIBUS SOLIDIS.

1. *Laxitas fibrarum*, & *mollities oſſium* auffertur medicamentis roborantibus, adſtringentibus, aqua frigida, compreſſione cum faſciis.
2. *Rigiditas fibrarum*, & *fragilitas oſſium* curatur emollientibus, mucilaginoſis, oleoſis.
3. *Irritabilitas aucta* curatur ablatione ſtimuli, narcoticis, emollientibus, ſubinde roborantibus.
4. ——— *imminuta* irritantibus, & roborantibus curatur.
5. *Spasmus* auffertur narcoticis, opio, mercurio gummoſo.

6. *Paralysis* exigit nervina, irritantia, præsertim cantharides.

7. *Sensitivitas aucta*, ut irritabilitas aucta, & *sensitivitas deleta*, ut irritabilitas deleta curatur.

Curatio morborum organicorum in *pathologia speciali* traditur.

CURATIO MORBORUM IN PARTIBUS FLUIDIS.

Plethora curatur venæsectione, & victu pauco.

Keneangia nutrientibus, & cardiacis.

Spissitudo resolventibus, antiphlogisticis, potu aquoso.

Tenuitas inviscantibus, & roborantibus.

Acrimonia acida curatur absorbentibus terris, salibus alcalinis, amaricantibus.

——— *alcalina* curatur acidis.

——— *muriatica* obvolventibus, diluentibus.

——— *venerea* mercurialibus.

——— *scorbutica* succo citri, aurantiorum, & herbis recentibus.

——— *arthritica* specifieis, ut antimonio, aconito.

——— *podagrica* aqua frigida, & specificis.

——— *rheumatica* antimoniatis, & specificis.

——— *scrophulosa* cortice peruviano, cicuta, sapone veneto.

——— *scirrhosa*, & *cancrosa* cicuta, & aliis specificis.

——— *carbunculosa*, & *pestilentialis* aceto rutaceo, camphora, & specificis.

——— *putrida*, & *gangrænosa* antisepticis, cortice peruviano, camphora, arnica, ruta.

——— *rancida* purgantibus, mellitis.

——— *ulcerosa* nitro, salibus mediis, camphora, cortice peruviano.

Acrimonia cariosa curatur cortice peruviano, asa fœtida.

Saburra primarum viarum emeticis, & purgantibus.

Error loci repellentibus, & aqua frigida.

Materia perspirabilis retenta sudoriferis.

Urina retenta ablatione causæ, quæ ischuriam inducit.

Fœx alvina retenta curatur purgantibus, & enematibus.

Lac retentum extractione ope antliæ mammariæ.

Retentio sanguinis menstrui restitutis menstruis.

——— ——— *hæmorrhoidalis* hirudinibus.

Excretio nimia sanguinis, vel *alius humoris* remediis sistentibus.

Extravasatio, & *stagnatio humorum*, fomentis resolventibus, internis evacuantibus, vel facta apertura.

Metastasis facta apertura.

Congestio, & *phlogosis*, seu *inflammatio* curatur antiphlogisticis, evacuantibus, revellentibus, obvolventibus, ablatione stimuli, venæsectione, aqua frigida.

HYGIENE,

SEU

DOCTRINA DE REGIMINE ÆGROTI.

VICTUS, & rerum naturalium a chirurgo præscripta methodus, quæ sub curatione morborum chirurgicorum ab ægroto observari debet, *hygiene* vocatur.

Hæc regimen tradit 6. rerum naturalium, quarum usu sanitas conservari, & morbi curari possunt, nempe huc pertinent.

1. *Aer.*
2. *Cibus*, & *potus.*
3. *Motus*, & *quies.*
4. *Animi affectus.*
5. *Retenta*, & *excreta.*
6. *Somnus*, & *vigiliæ.*

AER.

Circa vulneratos, ulcerosos, sit calidus, purus, & serenus. Evitetur aer nosocomii putridus, aut humidus, frigidus & nimium calidus. Nec aeri, licet puro, diu exponantur vulnera, aut ulcera. Horum deligatio, accenso fumo aromatico, & cito peragatur.

CIBUS.

Sit qualitate, & quantitate bonus. Nempe facile digerendus, & nec excessu nec defectu peccans.

Diæta triplex est; *plena*
mediocris &
tenuis.

Diæta crassa, seu *plena* est, quæ non solum vires corporis conservare, sed etiam robur earum augere potest. Hinc

Cerealia cum jure carnium.
Carnes juniorum animalium castratorum.
Vegetabilia tenera.
Caro assata animalium juniorum, vel *pullorum.*

Diæta plena convenit hominibus robustis, leviter vulneratis, aut a morbo penitus reconvalescentibus.

Diæta mediocris vires conservat, at non auget. Ut

Juscula cerealia, vel *farinacea.*
Carnes pullorum coctæ.
Fructus cocti bene maturi.

Convenit hæc diæta vulneratis, & aliis morbis laborantibus si inflammatio, & febris abest.

Diæta tenuis, quæ vires nonnihil imminutas conservat, ut

Jura cerealia aut *farinacea.*
Fructus cocti aciduli.

Convenit hæc diæta graviter vulneratis, atque si febris vulneraria, aut inflammatio adest. Hinc etiam *diæta antiphlogistica* dicitur.

Sed ſemper in ordinanda diæta, ætati, conſuetudini, & tempori aliquid dandum eſt.

POTUS.

Aqua bona conſuetis eſt optima. *Vinum* vel bona *cereviſia* abſente febre, & inflammatione debilibus, & reconvaleſcentibus datur. *Limonada*, vel *decoctum hordei* cum *oxymelle*, aut *emulſio* tenuis amygdalarum cum *nitro*, in morbis inflammatoriis pro potu ordinario exhibetur.

MOTUS, ET QUIES.

Motus convenit mediocris, quibus nec febris, aut inflammatio, aut membrum fractum eſt. His quies præſcribitur. *Situs* membri aliquantum flexi in omnibus fere fracturis convenit. *Decubitus* oſſis ſacri ſub longa mora in lecto impediatur, quod præſertim in curatione fracturæ cruris, vel femoris exigitur.

ANIMI AFFECTUS.

Spes, & mediocre *gaudium* proſunt, cætera animi pathemata, & ingenii labores, atque violentæ ſenſuum exercitationes evitentur.

RETENTA, ET EXCRETA.

Excretio alvi, urinæ, atque tranſpiratio cutanea quotidie procedant, & promoveantur *retenta*, alvus enemate, urina, & tranſpiratio potu, vel diuretico, vel diaphoretico.

SOMNUS, ET VIGILIÆ.

Somnus ſit moderatus, vigiliæ evitentur.

PHARMACEUTICA

SEU

DOCTRINA DE CURATIONE MEDICINALI.

ILLA therapiæ pars, quæ medicamentis morbos chirurgicos curare docet, *Pharmaceutica* dicitur.

Medicamenta ſunt entia ex regno animali, vegetabili, vel minerali deprompta, quæ vim morbos aufferendi habent. Hinc *primaria* medicamentorum diviſio eſt in medicamenta *vegetabilia*, *animalia*, *mineralia*.

Medicamenta ad ſanandos morbos externos, vel corpori applicantur; vel in ventriculum ingeruntur, hinc *ſecunda* medicamentorum diviſio eſt in *medicamenta externa*, & *in interna*.

Cum demum omnia medicamenta, vel cruda, vel arte pharmaceutica aliquantum immutata, vel manu pharmacopæi ex ſimplicibus pluribus commixta adhibeantur: hinc *tertia* medicamentorum diviſio eſt in *ſimplicia*, *præparata*, & *compoſita*.

Cum demum *actio* medicamentorum a principiis constitutivis pendeat, & juxta horum diversitatem, hæc varia sit, hinc medicamenta ab *indole*, seu *qualitate* principiorum constitutivorum dividuntur.

In mucilaginosa, oleosa, gelatinosa, gummosa, resinosa, bituminosa, balsamica, austera, aromatica, saponacea, acria, catustica, narcotica, acida, alcalina salsa, spirituosa, ætherea, terrea, metallica, aquosa, mechanica.

Ab *actione* autem medicata dividuntur medicamenta in emollientia, adstringentia, roborantia, stiptica, siccantia, humectantia, obvolventia, anodyna, suppurantia, attrahentia, repellentia, corrodentia, corrigentia, detergentia, consolidantia, cicatrisantia, calefacientia, refrigerantia, resolventia, deplentia, specifica.

Ultimum demum est ut sciat Chirurgus *formam*, qua adhiberi medicamenta debeant, hinc a *forma applicationis* dividi solent medicamenta.

1. In *formulas præparatorum*, ut sunt aquæ destillatæ, aceta, spiritus, tincturæ, essentiæ, elixiria, extracta, olea, decocta, infusa, mella, liquores, mulcilagines, sapones, pulpæ, resinæ, succi, salia, axungiæ, seba, spongiæ præparatæ, præparata terrea, & metallica.

2. In *formulas compositorum* ut sunt, aquæ compositæ, tincturæ compositæ, liquores, balsama,

olea composita, mucilagines, spiritus compositi, species, fomenta humida, fomenta sicca, cataplasmata, gargarismata, collutoria, injectiones, clysmata, lavatoria, balnea artificialia, vaporationes, embrocationes, suffitus, pulveres, emplastra, cerata, unguenta, linimenta, electuaria, suppositoria, trochisci, lapides, globi, pastæ, candelulæ.

Ex his ergo patet *Pharmaceuticam chirurgicam* subdividi debere.

1. in *materiam chirurgicam.*
2. — *pharmatiam chirurgicam.*
3. — *methodum præscribendi formulas externas.*

Has tres doctrinas in mea *materia chirurgica* & in mea *pharmacia chirurgica* sufficienter doceo.

CHIRURGIA

SEU

DOCTRINA DE CURATIONE MANUALI.

ILLA therapiæ pars, quæ morbos ope manum, fasciarum vel instrumentorum sanare docet, strictissimo sensu *chirurgia* vocatur.

Curatio manualis adhibetur si nec diæta, nec medicamenta sufficiunt.

Adminicula *chirurgiæ manualis* sunt *manus, fasciæ, instrumenta*; hinc dividitur chirurgia manualis.

1. in *doctrinam de faciis*, quæ compositionem & applicationem deligationis & faciarum docet.
2. in *doctrinam de instrumentis*, quæ instrumentorum figuram, materiem, divisionem, structuram, applicationem & usum tradit.
3. in *doctrinam de operationibus*, quæ indicationem, contraindicationem, locum, ægroti præparationem, apparatum deligationis, & instrumentorum, situm ægroti & chirurgi pro operatione, operationis manipulationem ipsam, demum deligationem & infortunia, quæ in, vel post operationem contingere possunt, docet.

A *veteribus* dividebantur operationes juxta effectum, quem producunt, in sequentia 7. genera.

1. eſt *Syntheſis* quæ unit præternaturales ſolutiones continui.
2. — *Taxis* quæ reducit loco dimota.
3. — *Diorthoſis* quæ male formata reformat.
4. — *Diæreſis* quæ ſeparat unita.
5. — *Exereſis* quæ heterogenea e corpore tollit.
6. — *Proſteſis* quæ deficientia reſtituit.
7. — *Aphræſis* quæ ſuperflua demit.

Recentiores dividunt operationes.

1. in *manuales* quæ manu nuda peraguntur, ut repoſitio herniæ vel luxationis eſt.
1. in *inſtrumentales* quæ manu inſtrumentis armata perficiuntur, ut venæſectio, trepanatio, amputatio, &c.

De operationibus vide ultimam *chirurgiæ practicæ* doctrinam, quæ operationes tradit.

PHARMACOLOGIA

SEU

DOCTRINA

DE MEDICAMENTIS.

PHARMACOLOGIA

SEU

DOCTRINA DE MEDICAMENTIS.

MEDICAMENTA dividuntur,

1. in *externa*, & *interna*.
2. in *ſimplicia*, *præparata*, & *compoſita*.

MATERIA CHIRURGICA,

SEU

CLASSES MEDICAMENTORUM EXTERNORUM.

DIGESTIVA.

SUNT remedia, quæ in vulneribus, & ulceribus Suppurationem promovent.

Balſamus Arcæi.

Unguentum digeſtivum.

Unguentum basiliconis.
Digestivum liquidum.

VULNERARIA.

Quæ ad vulnera, & ulcera sananda adhibentur.
Aqua vulneraria simplex.
——— Thediana.
——— Phagedænica.
Spiritus vini mastichinus.
Balsamus Arcæi.

UNIENTIA.

Emplastra tenacia, quibus vulnera scissa uniuntur, sunt.
Emplastrum anglicanum.
——— stipticum.
——— de minio.

DETERGENTIA.

Quæ ulcera lardacea detergunt, & purificant.
Unguentum digestivum acre.
——— Ægyptiacum.
Aqua phagedænica.
Mercurius præcipitatus ruber.

EXSICCANTIA.

Quæ vulnera, & ulcera exsiccant, seu cicatrisant.
Extractum Saturni.
Linteum carptum siccum.
Bolus armena.

Alumen uſtum.
Aqua Thediana.

STIPTICA.

Remedia, quæ hæmorrhagiam ſiſtunt.
Alcohol vini.
Spiritus terebinthinæ.
Aqua Thediana.
Vitriolum cæruleum.
Fungus agaricus.
Linteum carptum.

ADSTRINGENTIA.

Quæ partes relaxatas adſtringendo roborant.
Species adſtringentes in vino rubro coctæ.
Aqua Thediana.
Alumen.
Saccharum ſaturni.
Aqua calcis.
Vinum rubrum.

ROBORANTIA.

Quæ partes relaxatas leni ſtimulo roborant.
Species cephalicæ.
Vinum rubrum.
Spiritus vini camphoratus.
——— anthos ſeu rorismarini.
——— lavendulæ.

RESOLVENTIA TUMORUM CALIDORUM.

Quæ inflammationem, & tumores calidos resolvunt.

Oxycratum.
Vinum aquatum.
Aqua vegetomineralis.
Fomentum ex herbis resolventibus.
Fomentum ex fæcibus vini.
——— ex farinis resolventibus.

RESOLVENTIA TUMORUM FRIGIDORUM.

Quæ tumores frigidos resolvunt.

Sapo venetus in lacte solutus.
Solutio balsalmi vitæ externi.
Gummi ammoniacum aceto solutum.
Fomentum, vel cataplasma cicutæ.
Spiritus saponaceus.
Emplastrum de cicuta.
——— saponatum.

EMOLLIENTIA.

Quæ tumores induratos, & inflammatos emolliunt.

Emplastrum diachilon simplex.
Cataplasma emolliens.
Fomentum ex herbis emollientibus.
Unguentum de althea.

MATURANTIA.

Quæ tumorum inflammatoriorum ſuppurationem promovent.

Emplaſtrum de galbano.
——— diachilon cum gummatibus.
Unguentum baſiliconis.
Cataplaſma maturans.
Fermentum ex farina mellita.
Caricæ in lacte coctæ.

ANODYNA.

Quæ dolorem mitigant.

Cataplaſma ex foliis hyoſciami.
Crocus.
Opium.
Linimentum anodynum.

REPELLENTIA.

Quæ humores in vaſis ſtagnantes repellunt ſeu diſcutiunt, ut in ophthalmia.

Aqua frigida.
—— vegetomineralis.
—— vitriolata.

CAUSTICA.

Quæ partes, quibus applicantur, corrodunt.

Lapis cauſticus *adhibetur ad aperiendos abſceſſus.*
Lapis infernalis . . *ad carnem fungoſam papillarem.*
Alumen uſtum . . *ad carnem fungoſam latam.*

Oleum camphoræ causticum . . *ad sarcomata fungosa magna.*
Pulvis flammulæ jovis vel
Pulvis sedi acris . . *ad cancrum fungosum.*
Butyrum antimonii . . *ad callosos margines ulcerum & fistularum.*
Præcipitatus ruber . . *ad ulcera lardacea venerea.*
Aqua fortis mercurialis . . *ad cariem nigram.*
Aqua caustica mercurialis . . *ad condylomata venerea.*
Pulvis vitrioli cærulei . . *ad vasa lymphatica læsa.*
Pasta ad nævos . . *ad nævos maternos.*
Spiritus salis concentratus . . *ad verrucas.*
Viride æris cum cæra . . *ad clavos pedis.*
Unguentum Saintyvianum . . *ad pterygia oculi.*
Pulvis cantharidum . . *ad vulnera cane rabido inflicta.*

ANTISEPTICA.

Quæ putredini & gangrænæ resistunt.
Cortex Peruvianus.
Camphora.
Ruta.
Unguentum de styrace.

ANTIVENEREA.

Quæ ulcera venerea sanant.
Aqua phagædenica.
Balsamum mercuriale.
Solutio sublimati corrosivi.

Gargarisma mercuriale.

ANTICANCROSA.

Quæ in cancro & indurationibus applicantur.
Cicuta.

ANTICARIOSA.

Quæ in carie applicantur.
Essentia mastichina.
——— myrrhæ.
——— euphorbii.

FORMULÆ CONSUETISSIMÆ MEDICAMENTORUM COMPOSITORUM.

SPECIES EMOLLIENTES.

℞. malvæ.
— altheæ.
— verbasci.

SPECIES RESOLVENTES.

Flores chamomillæ.
——— sambuci.
——— arnicæ.
Hb. marrubii.

SPECIES CEPHALICÆ.

Hb. menthæ.
— meliſſæ.
— rorismarini.
— ſalviæ.
Flores lavendulæ.
—— roſarum.
—— arnicæ.

SPECIES ADSTRINGENTES.

Rad. tormentillæ.
— biſtortæ.
Fol. plantaginis.

SPECIES VULNERARIÆ.

Hb. rutæ.
— alchimillæ.
Flor. hypericonis.

FARINÆ RESOLVENTES.

Farina fabarum.
—— hordei.
—— ſecalis.

FARINÆ EMOLLIENTES.

Farina ſeminum lini.
—— fænugræci.

SPIRITUS MASTICHINUS.

Gummi maſtix in ſpiritu vini ſolvitur.

AQUA VULNERARIA SIMPLEX,

Herbæ balſamicæ cum ſpiritu vini deſtillantur.

AQUA VULNERARIA THEDIANA.

Ex aqua, ſpiritu vini, ſpiritu vitrioli, & ſaccharo albo conſtat.

AQUA PHAGEDÆNICA.

Mercurius ſublimatus corroſivus in aqua calcis ſolvitur.

AQUA ALBA SEU VEGETOMINERALIS.

Una drachma extracti ſaturni & ſpiritus vini in menſura aquæ diluitur.

AQUA OPHTHALMICA VITRIOLATA.

Aliquot grana vitrioli albi in aliquot unciis aquæ roſarum ſolvuntur.

UNGUENTUM DIGESTIVUM SIMPLEX.

Terebinthina cruda cum vitello ovi ſubigitur, dein additur myrrha & oleum hypericonis.

UNGUENTUM DIGESTIVUM ACRE.

Ex unguento digeſtivo ſimplici & mercurio præcipitato rubro conſtat.

DIGESTIVUM LIQUIDUM.

Digeſtivum ſimplex cum ovi vitello & melle in aqua diluitur.

BALSAMUS ARCÆI.

Ex terebinthina, gummi elemi, cera, ſevo hircino, & oleo hypericonis conſtat.

BALSAMUS MERCURIALIS.

Ex balſamo Arcæi, unguento neapolitano, & mercurio dulci componitur.

UNGUENTUM NEAPOLITANUM SEU MERCURIALE.

Ex mercurio vivo, & axungia porcina conſtat.

MERCURIUS GUMMOSUS.

Mercurii vivi ℥j & gummi arabici ℥iij cum ſyrupo aliquo in marmoreo mortario conteruntur in mucum.

CATAPLASMA EMOLLIENS.

Mica panis albi, ovi vitellus, crocus & butyrum cum lacte coquuntur.

CATAPLASMA RESOLVENS.

Herbæ & farinæ reſolventes cum aqua alba coquuntur.

FOMENTUM ADSTRINGENS.

Species adſtringentes cum alumine, vel ſaccharo ſaturni in vino rubro coquuntur. Dein ſpiritus vini camphoratus additur.

FOMENTATIO RESOLVENS SICCA.

Farinæ reſolventes cum ſpeciebus reſolventibus & camphora in pulverem rediguntur.

ENEMA EMOLLIENS.

Ex ℥viij decocti emollientis & ℥iv olei lini conſtat.

ENEMA ALVUM SOLVENS.

Ex decocto emolliente ℥viij & una uncia mellis communis, atque ℥j ſalis amari conſtat.

ENEMA ACRE.

Ex decocto emolliente ℔j. & pulvere jallapæ ʒij, vel ſcillæ ʒj componi poteſt.

PONDERA PHARMACEUTICA.

℔ ſeu libra habet ℥xij.
℥ — uncia — ʒviij.
ʒ — drachma — ℈iij.
℈ — ſcrupulus — gr. xx.
gr. — granum.
gt. — gutta.
ß — ſemis.

ãã. ſeu ana, id eſt totidem.
Menſ. ſeu menſura habet ℔iv.
Manip. — manipulus.

MATERIA MEDICA
SEU
CLASSES
MEDICAMENTORUM
INTERNORUM.

VOMITORIA SEU EMETICA.

DANTUR ſi bilis corrupta, vel cibi corrupti in ventriculo ſunt. Quod noſcitur ex nauſea & lingua amara.

Pulvis radicis Ipecacuanhæ gr. xv.
Tartarus emeticus gr. ij.
Potio emetica. *Ex 4. gr. tartari emetici & 4. unciis aquæ conſtat, & cochleatim datur.*

Vomitoria nocent gravidis, herniosis, & qui ſanguinem vomunt vel ſpuunt. His debet purgans dari.

PURGANTIA.

Indicantur ſi corrupta ſaburra in inteſtinis eſt.
Purgantia dividuntur in lenia & fortia.
Lenia quæ ſimul refrigerant ſunt.

Sal amarus ℥iß.
Manna ℥iij.
Cremor tartari ℥ß.
Rheum ʒj.
Pulvis radicis Jalappæ ʒß.
Potio laxativa D. Vien. ℥iv.
Electuarium lenitivum ℥j.
Pulpa tamarindorum ℥iij.
Syrupus cichorei c. rheo. vel
Syrupus manatus *cochleatim infantibus* datur.
Purgantia fortia ſeu Draſtica vocantur.
Reſina Jallapæ gr. x. in ſpiritu vini ℥ß.
Reſina ſcamoii *etiam ſic.*
Pillulæ anethinæ ʒß.

SUDORIFERA.

Indicantur in catarrho, acrimonia & ſcabie.
Infuſum flor. ſambuci.
Decoctum lignorum.
Antimonium diaphoreticum gr. xx.
Pulvis antiſpaſm. ruber ʒß.

DIURETICA.

Indicantur in morbis hydropicis & tumoribus aquoſis.
Oxymel ſcilliticum ℥j.
Oxymel colchicum ℥j.
Pulvis ſcillæ gr. x.
Vinum ſcilliticum ℥ij.
Decoctum Juniperi ℔j.

EXPECTORANTIA.

Dantur in aſthmate pituitoſo & purulento.

Spec. pectorales cum ſcilla.
Oxymel ſcilliticum ℥j.
Gummi ammoniacum gr. xx.
Kermes minerale gr. ij.

ANTIPHLOGISTICA SEU REFRIGERANTIA.

Indicantur in morbis inflammatoriis & febribus calidis.

Limonada Mj.
Decoctum hordei Mj.
——— avenæ Mj.
Oxymel ſimplex ℥ij.
Nitrum ʒß.
Emulſio amygdalina cum nitro.

ANTISEPTICA SEU ANTIPUTREDINOSA.

Indicantur in febribus putridis, gangræna, & carie.

Cortex peruvianus ℥j.
Camphora gr. x.
Acetum vini ℥ij.
Spiritus vitrioli gtt. xxx. ad ℔j. aquæ.

CARDIACA SEU EXCITANTIA.

Indicantur in debilitate ſine inflammatione, & calore.

Vinum Tokainum ℥ij.
Liquor anodynus mineralis gt. xx.

ROBORANTIA.

Indicantur in chloroſi, & debilitate, ſine febre calida.

Cortex peruvianus ℥j.

Extractum martis pomati ʒß.
Tinctura cinamomi ʒj.

STOMACHICA.

Indicantur in debilitate ventriculi.
Essentia amara ℥ß.
Elixir vitrioli gt. xx.
Spec. amaræ.
Pulvis gentianæ ℈ß.

CARMINATIVA.

Dantur in colica flatulenta.
Essentia carminativa ʒj.
Spiritus nitri dulcis gt. xxx.
Aqua fœniculi.

ANODYNA.

Indicantur in dolore, qui sine inflammatione est.
Opium gr. ß vel j.
Laudandum liquidum gt. xij.

ANTISPASMODICA.

Indicantur in tetano & convulsione, post omnes magnas operationes chirurgicas cum oleo dantur.
Opium gr. j.
Laudanum gt. xx.

VULNERARIA.

Quæ in ulceribus pulmonum & aliarum partium hinc in phthysi & hectica commendantur.

Decoctum vulnerarium.
Decoctum polygalæ amaræ.
——— lichenis islandici.
Aqua ſelterana cum lacte caprino.
Pilulæ balſamicæ.

RESOLVENTIA.

Indicantur in ſcirrho, indurationibus viſcerum & glandularum.

Sapo venetus gr. xx.
Extractum cicutæ gr. xx.
Gummi ammoniacum. gr. xx.
Tartarus tartariſatus.
——— vitriolatus.
Sal mirabilis.
Sal polychreſtus gr. xx.

ANTACIDA SEU ABSORBENDIA ACIDUM.

Indicantur in aciditate ventriculi aut inteſtinorum.

Lapid. cancrorum gr. xx.
Magneſia alba ʒj.
Sal tartari gr. x.

LENIENTIA.

Indicantur in colica, doloribus aliis, & Dyſuria.

Emulſio amygdalina ℔j.
Pulvis gummi arabici ʒß.
Oleum amygdalarum dulcium ℥ij.
Syrupus diacodii ℥ß.

EMOLLIENTIA

EMOLLIENTIA.

Indicantur in morbis dolorosis, & inflammatoriis.

Decoctum rad. altheæ.
Infusum seminum lini.

ADSTRINGENTIA.

Indicantur in hæmorrhagiis, & diarrhœa habituali.

Alumen draconisatum ℈j.
Terra japponica ʒj.
Bolus armena ʒij.
Decoctum simarubæ.
Conserva rosarum rubrarum ℥ij.

ANTIVENEREA.

Indicantur in morbis venereis.

Mercurius gummosus gr. xx.
——— dulcis gr. ij.
——— sublimatus corrosivus gr. ½ ℥ij. Decocti.

ANTISCORBUTICA.

Dantur in morbis scorbuticis.

Succus nasturtii.
——— Cochleariæ.
——— Beccabungæ.
——— Citri.
——— Aurantiorum ℥ij.
Conserva nasturtii ℥ij.
Brassica acidulata.
Cerevisia raphanacea.

Mustum malti.
Fructus, & cibi vegetabiles.

PURIFICANTIA SANGUINEM.

Indicantur in omni acrimonia humorum in scabie, & in lue venerea.

Decoctum sarsaparillæ.
——— Bardanæ.
——— lignorum.
Flores sulphuris.
Æthiops mineralis.
Extractum enulæ.

ELENCHUS
INSTRUMENTORUM
CHIRURGICORUM.

ELENCHUS
INSTRUMENTORUM
CHIRURGICORUM MAXIME USUALIUM.

INSTRUMENTA VULGARIA, QUÆ CHIRURGUS SEMPER SECUM HABEAT.

Forfex recta.
——— curva.
Spatha pro ore.
——— myrthiformis.
Forceps vulgaris.
Stylus.
Sulcus.
Cochlear auriculare.
Inſtrumentum pro lapide infernali.
Culter tonſorius.

CAPSULA PRO LANCEOLIS.

6. Lanceolæ.
2. Phlebotomi.

CAPSULA PRO CULTRIS.

Culter rectus.
——— curvus.
——— capitatus.
Lanceola major.

MARSUPIUM PRO TORNACULO.

Tornaculum vulgare.
2 Acus curvæ cum filis ceratis.
Spleniola graduata.
Fascia 4. ulnarum.
Fungus agaricus.

INSTRUMENTA, PRO QUALIBET OPERATIONE SPECIATIM INDICATA.

PRO VENÆ SECTIONE.

Lanceola.
Phlebotomus.

PRO SECTIONE VENÆ JUGULARIS.

Compressorium venæ jugularis.

PRO ARTERIOTOMIA.

Lanceola.

PRO APERTURA ABSCESSUS.

Lanceola major.

PRO ENUCLEATIONE TUMORIS.

Culter.
Sulcus apice obtuſo.
—— —— acuto.
Hamulus.
Volſella.

PRO EXCISIONE SARCOMATIS.

Forfex juxta ſuperficiem curvata.
Culter —— —— curvatus major.
—— —— —— curvatus minor.
Acus pro ligando ſarcomate.

PRO EXPLORATIONE VULNERIS PUNCTI.

Stylus tenuior.
—— craſſior.
—— longus.
—— ex balena.
Syringa pro vulnere.

PRO DILATATIONE VULNERIS.

Culter rectus.
—— curvus.
—— ocultus.
Forfex dilatatoria.

Tubulus.
Sulcus latus.
Instrumentum pro contraapertura.

PRO EXIMENDO GLOBO E VULNERE.

Forceps recta.
——— curva.
——— tridentata.
Cochlear.
Terebra pro glandibus plumbeis.

PRO SUTURA VULNERUM.

6. Acus curvæ majores.
— —— —— minores.

PRO COMPRESSIONE ARTERIARUM.

Tornaculum vulgare.
——— PETITIANUM.
——— anglicanum.
——— pro læsione arteriæ radialis.

PRO LIGATURA ARTERIARUM.

6. Acus curvæ magnæ.
— — —— minores.
Acus pro arteria intercostali.
Detrusorium arteriæ intercostalis.
Acus curva magna.

PRO SCARIFICATIONE.

Culter.
Cubus ſcarificatorius.
Ventoſa.
Antlia.

PRO FACIENDO FONTICULO.

Culter.
Cingulum pro fonticulo.

PRO SETACEO.

Forceps pro ſetaceo.
Acus pro ſetaceo.

PRO INOCULATIONE.

Lanceola.
Phlebotomus pro inoculatione.

PRO CAUTERISATIONE.

Cauteria variæ figuræ.
Vaginæ variæ figuræ.

PRO DANDO ENEMATE.

Syringa clyſmatica vulgaris.
Veſica clyſmatica.
Tubulus major.
——— minor.
Machina pro fumo tabaci.

Machina, *qua quivis sibi ipsi commode clysma injicere, & anum vel scrotum balneare potest, & qua fœminæ in vaginam uteri sibi injectiones facere possunt.*

PRO UNGUIBUS EXTRAHENDIS.

Forceps ad decerpendos.
——— — discindendos.
——— — extrahendos ungues.

PRO PUNCTURA AURICULARUM.

Instrumentum pro punctura auricularum.

PRO EXIMENDO CORPORE HETEROGENEO EX MEATU AUDITORIO.

Cochlear auriculare.
Forceps auricularis.

PRO EXSTIRPANDA CARIE.

Acus punctoria, *seu* subula.
Trepanum perforativum.
——— exfoliativum.
Raspatorium.
Lima.
Forceps scissoria.
Serulæ Cel. Schmuker.
Cuneus.
——— excavatus.
Malleus.

PRO DENUDATIONE CRANII.

Culter tonſorius.

—— ſimplex.

Spatha myrthiformis.

PRO TREPANATIONE.

Trepanum cum corona.

——— perforativum.

Clavis pro pyramide trepani.

Elevatorium cochleatum.

Forceps pro eximendo orbiculo oſſis.

Sulcus apice acuto.

Dentiſcalpium.

Scopula ſetacea.

Culter lenticularis.

Depreſſorium duræ matris.

Forceps ſciſſoria cum apicibus ſemilenticularibus.

PRO ELEVATIONE CRANII.

Antlia.

Elevatorium vulgare.

——— PETITIANUM.

PRO HÆMORRHAGIA NARIUM.

Inſtrumentum pro obturatione foraminum poſticorum naſi.

Tubulus elaſticus pro hæmorrhagia narium.

PRO SECTIONE FRENULI SUBLINGUALIS.

Forfex apicibus obtusis.
Instrumentum Cel. Platneri.
Spathula incisa.

PRO PERFORATIONE ANTRI HIGMORIANI.

Hamulus pro bucca.
Stylus perforatorius major.
—— ———— minor.
Trepanum parvum.
Syringa pro injectione per alveolum dentis.
Tubulus.
Stylus tenuis.

PRO EXSTIRPATIONE POLYPI NASALIS.

Forceps recta pro polypo.
—— curva.
—— dentata ad conterendum polypum.
—— scissoria ad abscindendum polypum.
—— Cl. Prof. Richter.
Culter semilunaris.
—— occultus.
Cauterium pro polypo.
Cannula pro ligando polypo nasali.
—— — —— —— uterino.
Filum argenteum tenue.

PRO EXIMENDO CORPORE HETEROGENEO EX CAVO FAUCIUM.

Forceps ſemicircularis pro faucibus.
— ſuperficialiter ſe aperiens.
Detruſorium ex balena.
Inſtrumentum VENELIANUM.

PRO AMPUTATIONE UVULÆ.

Inſtrumentum pro amputatione uvulæ.
——— — liganda uvula.
——— — ligandis tonſillis.
Forfex pro abſcindenda uvula.

PRO APERTURA ABSCESSUS IN FAUCIBUS.

Cochlea oris.
Pharyngotomus.
Inſtrumentum pro pennicillatione faucium.

PRO INJECTIONE FAUCIUM.

Syringa argentea.
Spatha argentea pro ore.

PRO OPERATIONE LABII LEPORINI.

Forfex pro labio leporino.
Cultet.
Forceps ſciſſoria pro decerpenda eminentia oſſea.
Faſcia uniens cum filis crucitatim decuſſatis.

PRO PALATO.

Obturator palati.

PRO TRACHEOTOMIA.

Culter rectus.
—— bipennis.
Sulcus.
Cannula laryngea argentea.
Lanceola oculta latyngea. Cl. P. RICHTER.
Acus bis cannulata.

PRO OESOPHAGOTOMIA.

Culter.
Hamulus.
Sulcus.

PRO AMPUTATIONE MAMMÆ.

2. Cultri pro amputatione mammæ.
Hamulus.

PRO EXTRACTIONE LACTIS EX MAMMIS.

Antlia mammaria CEL. P. STEIN.

PRO PARACENTHESI THORACIS.

Culter acutus.
—— capitatus.
Cannula argentea.
Syringa pectoralis CEL. P. LEBER.
Acus pro arteria intercostali.

PRO PARACENTHESI ABDOMINIS.

Acus triquetra vulgaris.
—— —— cum cannula incisa.
Reductor omenti.
Obturator cannulæ.
Cingulum abdominale.

PRO GASTRORAPHIA.

6. Acus magnæ & curvæ.
Calamus crassus.

PRO ENTERORAPHIA.

3. Acus curvæ & tenues.
3. Fila diversi coloris.
Tubus ex cartha lusoria.

PRO HERNIOTOMIA.

Culter rectus.
—— curvus.
—— capitatus.
—— occultus.
Sulcus simplex.
—— alatus.
Dilatatorium.

PRO SECTIONE CÆSAREA.

Culter curvus.
—— rectus.
—— recurvatus.
Sulcus latus.
Forfex curva.

PRO PARACENTHESI SCROTI.

Acus triquetra parva.

PRO SETACEO SCROTI.

Acus cannulata pro ſetaceo juxta Cel. Pott.

PRO AMPUTATIONE MEMBRI VIRILIS.

Culter.
Cannula argentea cum anſis.

PRO CATHETERISMO VESICÆ URINARIÆ.

Catheter virilis tenuior.
—— —— craſſior.
—— —— flexilis.
—— —— pro infante.
—— muliebris.
Candelulæ ſimplices.
—— cavæ.
—— ex reſina elaſtica.

PRO INCONTINENTIA URINÆ.

Machina pro incontinentia veſicæ in viris.
—— — —— —— in mulieribus.

PRO INJECTIONE VESICÆ URINARIÆ.

Catheter cum cochlea.
Syringa pro injectione veſicæ.
Compreſſorium penis.

PRO PUNCTURA VESICÆ.

Acus triquetra flexilis pro punctura veſicæ.

PRO

PRO DILATATIONE PRÆPUTII ET URETHRÆ.

Culter acutus.
Sulcus.
Culter PETITIANUS pro phymosi.
Instrumentum pro apertura urethræ concretæ.

PRO LITHOTOMIA.

6. Catheteres sulcati variæ figuræ.
2. Cultri lithotomi variæ figuræ.
2. Conductores. Mas & fæmina.
Lithotomus ocultus.
2. Forcipes rectæ.
2. ——— curvæ.
2. ——— dentatæ.
Instrumentum cochleonodosum.
Conductor novus.
Acus pro liganda arteria.
Cannula.

PRO LITHOTOMIA MULIEBRI.

Culter lithotomus duplex.
Forcipes variæ.
Dilatatorium urethræ muliebris.

PRO FISTULA ANI.

Culter curvus obtusus CEL. POTT.
Acus flexilis.
Culter cum hamulo.
Instrumentum pro fistula ani a CEL. D. RETTER inventum.

Instrumenta pro fistula ani a Cel. D. Brambilla inventa.

Tubus &
Culter Cl. Rungii.
Speculum ani.

PRO COMPRESSIONE ANEURISMATUM.

Compressorium chalybeum.
——— ex subere excavato.

PRO OPERATIONE ANEURISMATUM.

Culter rectus.
Sulcus acutus.
—— obtusus.
2. Acus curvæ.
Volsella major.
—— minor.

PRO AMPUTATIONE.

Culter falcatus major.
—— ——— minor.
—— rectus.
—— bipennis.
Forceps pro attrahenda arteria.
Serra magna.
Forceps scissoria magna.
Tornaculum Petitianum.
Capsa cum acubus.

PRO EXCISIONE ARTICULI.

Culter major.
—— curvus.
—— recurvatus.
Tornaculum pro arteria ſubclavia.
Acus peculiaris pro arteria.

PRO EVULSIONE DENTIS.

Clavis anglicana.
Inſtrumentum CEL. AITKEN.
Pelicanus.
—— CEL. BOURDET.
Forceps dentaria ſimplex.
—— —— compoſita (der Uiberwurf.)
Tornaculum pro hæmorrhagia ex alveolo.

PRO DEPURATIONE DENTIUM.

Capſa cum 10. inſtrumentis dentifriciis.

PRO CAUTERISATIONE DENTIUM.

Infundibulum.
Cauteria varia.
Acus pro cauteriſatione.
Magnes artificialis.

PRO DEPRESSIONE CATARACTÆ.

Acus variæ pro cataracta.

PRO EXTRACTIONE CATARACTÆ.

Cultelli oculares CL. P. RICHTER.
Kiſtotomus.
Cochlear.

Forceps ocularis.
Forfices oculares.
Digitale cum hasta. Cel. D. Rumpelt.
Tenaculum palpebrarum.

PRO FISTULA LACHRYMALI.

Styli oculares.
Stylus pro setaceo.
Syringa Anelliana.
Perforatorium ossis lachrymalis.
Cannula aurea.
Infundibulum pro punctis lachrymalibus.
Compressorium sacci lachrymalis.
Pelvis pro balneatione oculi.

PRO EXCISIONE BULBI CANCROSI.

Culter.
Volsella.
Forfex.
Hamulus.
Oculus artificialis.

PRO TRICHIASI.

Volsella parva.

PRO ARTE OBSTETRICIA.

Vectis Roonhuisianus.
—— excavatus.
Forceps Levretiana.
——— tribrachialis C. D. Leak.
Perforatorium.
Uncus obtusus.
Forceps lata pro ossibus cranii extrahendis.

Forceps dentata longa.
Pelvimetrum &
Sella obſtetricia Cl. P. Stein.
Syringa pro utero.
Speculum uteri.
Peſſarium annulare.
——— peculiare.
Acus triquetra occulta pro paracentheſi fœtus.
Forfex pro funiculo umbilicali.

MACHINÆ CHIRURGICÆ VARIÆ.

Machina pro embroche.
——— pro vapore.
——— pro ano artificiali.
Crura artificialia
Manus artificiales.
Reductor emendatus pro luxationibus.
——— ſpinæ dorſi.
Gloſſocomium.
Polyſpaſtus.
Nux machina.
Furca Petiti.
Ambi emendatus.
Machina pro fractura cruris.
——— femoris.
——— valgis.
Tabula pro lithotomia.
Sella artificialis pro operationibus.
——— pro reconvaleſcentibus. Cl. White.
Lectus artificialis pro ægrotis. Cl. White.
Ferulæ variæ pro fracturis.
——— variæ pro luxationibus.

INSTRUMENTA PRO SECTIONE CADAVERIS.

Culter tonſorius.
3. Scalpella magna.
3. ——— parva.
3. ——— bipennia.
Forfex recta.
——— curva.
2. Volſellæ.
2. Hamuli ſimplices.
2 ——— duplices.
Tubus cum epiſtomio, & 3. cannulis.
2. Specilla.
2. Sulci.
Serra arcuata cum laminis.
Inſtrumentum ad cranium elevandum.
Spatha ad deglubendam duram matrem.
2. Acus magnæ, & rectæ.
——— ——— — curvæ; *pro ſutura cadaveris, & tenue ligamen nigrum ſericeum.*

INSTRUMENTA ANATOMICA.

Præter priora.
Culter ad ſecandum cerebrum.
2. Cavatoria.
Malleus.
Syringa pro injectio major.
——— — ——— minor.
Tubuli variæ diametri.
Serra verſatilis.
3. Limæ variæ.
Tenaculum torculare. (Schraufſtock.)
Inſtrumentum ad ſolvenda oſſa cranii.
Tabula anatomica verſatilis.

ELENCHUS
FASCIARUM
CHIRURGICARUM.

ELENCHUS
FASCIARUM
CHIRURGICARUM.

SUPELLEX CHIRURGICA VULGARIS PRO DELIGATIONE.

I. Linteum carptum, & ex eo præparata, ut
   1. Plumaccola.
   2. Turundæ.

II. Emplaſtra; vel alia medicamenta.

III. Splenia.

IV. Faſciæ ſimplices.
   Faſcia circularis.
   —— aſcendens.
   —— deſcendens.
   —— uniens.
   —— expulſiva.
   —— comprimens.
   —— contentiva.

V. Faſciæ compoſitæ.

VI. Res acceſſoriæ ſuppellectilis chirurgicæ.
   Ferulæ.

Thoruli.
Ligamina, funiculi, fila &c.

FASCIÆ PRO CAPITE.

Capitium magnum.
——— parvum.
Capellina.
Funda capitalis.
Fascia sexcapitata.
——— uniens.
Scapha pro sectione venæ frontalis.
Fascia nodosa, seu solaris pro arteriotomia.
——— mitralis.
Vinctura pro trepanatione.

FASCIÆ PRO OCULIS.

Oculus simplex.
——— duplex.
Fascia triangularis.
——— ocularis Cel. D. Vincel.

FASCIÆ PRO NASO.

Accipiter.
Discrimen.
Funda nasalis.

FASCIÆ PRO LABIIS ORIS.

Fascia pro labio leporino.
——— ——— ——— superiori.
——— ——— ——— inferiori.

FASCIÆ PRO MAXILLA INFERIORI.

Capiſtrum ſimplex.
——— duplex.
Funda maxillaris.

FASCIA PRO FACIE.

Larva.

FASCIÆ PRO COLLO.

Faſcia continens colli.
——— dividens colli.
——— ad tracheotomiam.
——— uniens.

FASCIÆ PRO SPINA DORSI ET LUMBORUM.

Faſcia ſcapularis cum mantili.
Quadriga ſeu Cataphracta.

FASCIÆ PRO MAMMIS.

Faſcia 4. capitum ad amputationem mammæ.
Suſpenſorium mammæ ſimplex.
——— ——— duplex.
Faſcia T pro mammis.
Subucula pro puerperis.

FASCIÆ PRO ABDOMINE.

Faſcia uniens.
Cingulum abdominale.

FASCIÆ PRO MEMBRO VIRILI.

Fuſcia pro læſione penis.
Suſpenſorium ſcroti.
Burſa ſcrotalis

FASCIÆ PRO SINU MULIEBRI.

Faſcia pro ſinu muliebri.

FASCIÆ PRO PERINÆO ET NATIBUS.

Faſcia T ſimplex.
—— — duplex.

FASCIÆ PRO INGUINIBUS.

Spica inguinalis.
Faſcia ad herniam inguinalem.

FASCIÆ PRO HUMERI SUMMITATE.

Faſcia ſtellata ſimplex.
—— —— duplex.
Spica aſcendens.
—— deſcendens.

FASCIÆ PRO BRACHIO ET ANTIBRACHIO.

Faſcia pro fractura humeri.
—— — excifione humeri ex articulo.
—— — amputatione humeri.
—— — ———— antibrachii.

FASCIÆ PRO CUBITI ARTICULO.

Vinctura pro luxatione cubiti.

Fascia pro venæ sectione.
——— — læsione arteriæ.
Vinctura pro aneurismate.

FASCIÆ PRO CARPO ET DIGITIS.

Vinctura pro carpo.
——— — metacarpo.
——— — uno digito.
——— — omnibus digitis.
Digitale.
——— — sectione venæ salvatellæ.
——— — ——— — cephalicæ manus.
——— digito amputato.
Mitella integra.
— — media.

FASCIÆ PRO FEMORE ET CRURE.

Spica ad luxationem femoris.
Fascia ad fracturam femoris.
——— — ——— cruris.
——— octodecim capitum.
——— ad amputationem femoris.
——— — ——— cruris.

FASCIÆ PRO GENU.

Vinctura ad luxationem genu.
——— — fracturam patellæ longitudinalem.
——— — ——— ——— transversalem.
——— — rupturam tendinis patellæ.

FASCIÆ PRO PEDE ET DIGITIS PEDIS.

Vinctura pro pede luxato.
——— — venæ ſectione in pede.
——— — ruptura tendinis Achillis.

FASCIÆ PRO HERNIIS.

Bracherium ſimplex pro inguine dextro.
——— ——— — ——— ſiniſtro.
——— cum pila excavata.
——— cum elatere elaſtico.
——— duplex.
——— pro hernia umbilicali.
Suſpenſorium umbilici.
Bracherium pro hernia in perinæo.
Suſpenſorium ſcroti.
Bracherium pro infante ex corio.
——— — — ——— — linteo robuſto.
Vinctura pro hernia umbilicali infantis.
Bracherium pro hernia umbilicali infantis.
Faſcia pro relaxatione abdominis.

NOTITIA
AUTHORUM
PRO AUDITORIBUS, QUI IDIOMA GERMANICUM NON GALLENT.

BIBLIOTHECA CHIRURGICA.

ANATOME.

PLENCK, primæ lineæ anatomes.

WINSLOW, expoſitio anatomica ſtructuræ corporis humani. T. IV.

ZINN, deſcriptio anatomica oculi humani.

FABRICIUS, methodus cadavera humana rite ſecandi.

LEBER, anatomia.

PHYSIOLOGIA.

BOERHAAVII, Inſtitutiones medicæ.

MARRHERR, prælectiones in Boerhaavii inſtitutiones Medicas. T. III.

HALLERI, primæ lineæ phyſiologiæ.

——— elementa phyſiologiæ corporis humani. T. VIII.

PATHOLOGIA CHIRURGICA GENERALIS.

VAN SWIETEN, commentarii in *Boerhaavii* aphorismos de cognoſcendis & curandis morbis T. V.

MATERIA CHIRURGICA.

PLENCK, Pharmacia chirurgica.

DOCTRINA DE FASCIIS.

HEISTERI, institutiones chirurgicæ. T. II.

DOCTRINA DE INSTRUMENTIS.

HEISTERI, institutiones chirurgicæ.

CHIRURGIA GENERATIM.

PLENCK, Compendium institutionum chirurgicarum.
HEISTERI, Institutiones chirurgicæ.
PLATNERI, institutiones chirurgicæ.
——— supplementa in institutiones chirurgicas.
LUDWIG, institutiones chirurgiæ.
CALLISEN, institutiones chirurgiæ hodiernæ.
BILGUER, dissertatio de membrorum amputatione rarissime administranda, aut quasi abroganda.
PLENCK, Doctrina de morbis cutaneis.
ALIX, observata chirurgica. II. Fasciculi.

MORBI OCULORUM.

BOERHAAVE, de morbis oculorum.
PLENCK, doctrina de morbis oculorum.
LANGE, Commentatio de ophthalmia.

MORBI VENEREI.

ASTRUC, de morbis venereis. T. II.
PLENCK, Doctrina de morbis venereis.
PLENCK, Methodus nova & facilis, argentum vivum ægris venerea labe infectis, exhibendi.

MORBI DENTIUM.

PLENCK, Doctrina de morbis dentium.

CHIRURGIA FORENSIS.

LUDWIG, institutiones medicinæ forensis.
HEBENSTREIT, anthropologia forensis.

ARS OBSTETRICIA.

ROEDERER, Elementa artis obstetriciæ.
CRANZ, Dissertatio de re instrumentaria in arte obstetricia.
MANNINGHAM, Compendium artis obstetriciæ.

CASUISTICA.

RICHTER, observat. chirurgicarum 2. fasc.
ALIX, observata chirurgica. 4. fasc.
L. B. DE STOERCK libellus de cicuta.
— — — ——— — de flammula jovis.
— — — ——— — de pulsatilla nigricante.

HISTORIA CHIRURGIÆ.

HALLERI, Bibliotheca chirurgica. T. II.
COMMENTARII, de rebus in scientia naturali & medicina gestis.

BIBLIOTHECA MEDICA.

CHEMIA.

SPIELMANNI, Institutiones chemiæ.
BOERHAAVE, Elementa chemiæ. T. II.

MATERIA MEDICA.

CRANZ, Materia medica.
ZUCKERT, Materia alimentaria.

PHARMACIA MEDICA.

REZII, Primæ lineæ pharmaciæ.
GAUBIUS, De methodo concinnandi formulas medicas.
PHARMACOPAEA, Austriaco-provincialis.
Taxa medicamentorum.
PHARMACOPAEA, Helvetica.

PATHOLOGIA GENERALIS.

LUDWIG, Institutiones pathologiæ.
——— ——— theraphiæ.
GAUBII, Institutioncs pathologiæ.

VAN SWIETEN, Commentaria in *Boerhaavii* aphorismos de cognoscendis & curandis morbis. T. V.

SAUVAGES, Nosologia methodica sistens morborum classes, genera & species. T. II.

MAXIM. STOLL ratio medendi. 2. part.

GORTERI, Medicina Hippocratica.

HOME, Principia medicinæ.

VOGEL, Prælectiones de cognoscendis & curandis præcipuis corporis humani affectibus.

CAMPER, De emolumentis & optima methodo insitionis variolarum dissertatio.

L. B. DE STOERCK, Præcepta medico-practica in usum chirurgorum castrensium & ruralium.

COLLIN, Observationum circa morbos acutos & chronicos factarum. Partes V.

TISSOT, Opuscula medica. T. I.

L. B. DE STOERCK, Libellus de Stramonio, hyosciamo & aconito.

——— ——— de colchico autumnali.

STRACK, Observationes medicinales de colica pictonum.

——— ——— ——— ——— morbo cum petechiis.

TRNKA, Commentarius de Tetano.

——— Historia febrium intermittentium.

MORGAGNI, De ſedibus & cauſis morborum per anatomen indagatis.

HUXHAM, De aere & morbis epidemicis.

BLANCARDI, Lexicon medicum.

CHIRURGIA
PRACTICA
SEU
DOCTRINA SPECIALIS
DE
MORBIS CHIRURGICIS.

PROLEGOMENA CHIRURGIÆ.

CHIRURGIA eſt ſcientia, quæ morbos externos ſanare docet.

Doctrinæ Chirurgo *neceſſariæ* dividuntur in *præparatorias* & in *proprias*.

Doctrinæ præparatoriæ ſunt VIII.

1. Anatomia.
2. Hygrologia.
3. Phyſiologia.
4. Pathologia.
5. Doctrina de medicamentis.
6. ——— de inſtrumentis.
7. ——— de faſciis.
8. Notitia authorum.

Doctrinæ propriæ dividuntur in doctrinas *communes* & *peculiares*.

Doctrinæ communes ſunt VIII.

I. Doctrina vulnerum.
II. ——— ulcerum.
III. ——— tumorum.
IV. ——— prolapſuum.
V. ——— herniarum.
VI. ——— deformitatum.
VII. ——— de morbis oſſium.
VIII. ——— de operationibus.

Doctrinæ peculiares ſunt etiam VIII.

I. Doctrina de morbis oculorum.

II. Doctrina de morbis dentium.
III. ——— de morbis venereis.
IV. ——— de chirurgia forenſi.
V. ——— de arte obſtetricia.
VI. ——— de morbis cutaneis.
VII. ——— Caſuiſtica.
VIII. ——— Hiſtoria Chirurgiæ.

DOCTRINA VULNERUM.

DE VULNERIBUS IN GENERE.

VULNUS eſt ſolutio cruenta partium mollium, quæ per inſtrumentum acutum inflicta fuit.

Vulnera dividuntur.

in *Simplicia*, *complicata* & *lethalia*.

Vulnera *ſimplicia* ſunt, in quibus ſola integumenta communia læſa deprehenduntur.

Complicata vocantur illa, ubi præter integumenta ſimul magni nervi, arteriæ, tendines, muſculi, vel oſſa ſunt læſa.

Vulnera *lethalia* vocantur illa, quæ mortem cauſant, vel cauſare poſſunt. Hæc vulnera lethalia in tres ordines diſtribuuntur.

I. in *abſolute* lethalia.
II. — *per ſe* lethalia.
III. — *per accidens* lethalia.

Vulnera *abſolute* lethalia ſunt illa, in quibus chirurgus mortem avertere non valet.

Vulnera per ſe lethalia vocantur illa, in quibus chirurgus mortem avertere poteſt.

Vulnera per accidens lethalia ſunt vulnera levia, in quibus mors errore chirurgi vel vulnerati ſupervenit.

Abſolute lethalia vulnera in V. Claſſes dividuntur.

I. Quæ liquidi nervi influxum ex cerebro in viſcera vitalia impediunt.

II. Quæ circulationem.

III. Quæ reſpirationem.

IV. Quæ chylificationem impediunt.

V. Quæ extravaſationem non amovendam faciunt.

Ad primam *Claſſem* pertinent.

Vulnera profunda Cerebri.

——— ——— Cerebelli.

——— medullæ oblongatæ.

——— medullæ ſpinalis.

——— Octavi paris nervorum & nervi intercoſtalis magni.

Ad 2dam *Claſſem* pertinent.

Vulnera penetrantia Cordis.

——— ——— Auricularum cordis.

——— ——— Sinuum cordis.

——— ——— Omnium internarum majorum arteriarum & venarum.

Ad 3tiam *Claſſem* pertinent.

Vulnera abſcindentia thracheam

——— bronchiorum.

——— magna pulmonum.

——— ——— diaphragmatis.

——— nervorum diaphagmaticorum.

Ad 4tam *Classem* pertinent

Vulnera abscindentia œsophagum.

——— abscondita ventriculi.

——— ——— intestinorum tenuium.

——— ——— intestinorum Crassorum.

——— Vesicæ bilis.

——— Ductus pancreatici.

——— Receptaculi chyli.

——— Ductus thoracici.

Ad 5tam *Classem* pertinent

Extravasatio in basi cranii.

——— in 4. ventriculis cerebri.

——— in cavo vertebrarum.

——— in pericardio.

——— in duplicatura postica mediastini.

——— in cavo celluloso lumborum.

——— in cavo pelvis.

CURATIO VULNERUM.

Omnia vulnera vel unione vel suppuratione sanantur.

Vulnera *scissa* per unionem.

——— *contusa* per suppurationem.

VULNERA SCISSA.

Unio vulnerum scissorum quadruplici modo fieri potest.

1. Per *emplastrum tenax*, quo uniuntur vulnera *superficialia.*
2. Per *fasciam unientem*, quo vulnera *profunda* & simul *oblonga.*

3. Per *ſuturam cruentam*, quo vulnera *profunda* & ſimul *transverſa*.
4. Per *faſciam expulſivam*, quo vulnera *pendula* & *puncta* uniuntur.

VULNERA CONTUSA.

Vulneris contuſi ſanatio requirit

1. *Suppurationem* per unguentum digeſtivum, vel balſamum Arcæi.
2. *Sanationem* per aquam vulnerariam.
3. *Exſiccationem* per linteum carptum ſiccum, vel alumen uſtum, vel bolum armenam, vel extractum ſaturni.

VULNERA PUNCTA.

In *ſimplicia* & *complicata* dividuntur. *Simplicia* injectione aquæ tepidæ deterguntur, dein ope faſciæ expulſivæ comprimuntur a fundo verſus orificium.

Si vero in fundo *abſceſſus* ſe formet, contraapertura fundi facienda eſt.

Vulnera puncta, *complicata* cum læſione vaſis, oſſis, vel viſceris, illico ſatis dilatari debent, ut medicamenta hiſce partibus admoveri poſſint.

VULNERA SCLOPETARIA.

In *penetrantia per membrum* & non *penetrantia* dividuntur.

Penetrantia per membrum vix ſunt ſanguinolenta, valide inflammantur & tarde ſuppurant.

Curatio fit I. *per dilatationem orificiorum*
II. per *digeſtiva* & cataplaſmata emollientia.

Facta ſuppuratione ſanantur *injectione* aquæ vulnerariæ.

Non penetrantia per membrum, globum intra ſe recondunt. Hoc exempto tractantur ut vulnera penetrantia.

Globus *eximitur* dilatato vulnere
I. Digitis.
II. Forcipe.
III. Cochleari.
IV. Contraapertura ſi globus locum mutavit.
V. Terebra ſi globus oſſi impactus hæret.

VULNERA VENENATA.

Frequentiſſima vulnera venenata ſunt illa, quæ a *cane rabido*, aut *vipera venenata* infliguntur.

Vulnus *canis rabidi* noſcitur ex ſubſequente *hydrophobia* ſeu averſatione potus.

Hydrophobia a morſu animalis rabidi futura præveniri quidem, at præſens jam curari hucuſque nequit.

Prævenitur
1. *Scarificando* vulnus & *exſugendo* ſanguinem ope ventoſæ.
2. *Inſpergendo* pulverem cantharidum, ut ſuppuratio per aliquot menſes excitetur.
3. Dando *mercurium gummoſum* interne & applicando unguentum neapolitanum externe ſuper pulverem cantharidum.

4. Præbendo interne pulverem rad. belladonæ a granis ſex ad decem omni altero die.

Præſens jam Hydrophobia, nec mercurio ad ſalivationem uſque dato, nec opio, moſcho, balneis frigidis, aut calidis nec immerſione in mare potuit exſtingui.

Interim: loci quondam morſi & jam conſolidatio ſcarificatio & inſperſio pulveris cantharidum ſub ipſa hydrophobia jam ingruente tentanda eſt. Videtur enim virus hydrophobum adhuc in vulnere latere, ac per conſenſum hydrophobiam in faucibus producere.

Vulnus *viperæ venenatæ* varia ſymptomata ſtatim poſt morſum exhibet. Nempe animi deliquia, icterum, palpitationem cordis, membri demorſi dolorem, tumorem ingentem, ſubinde gangrænam.

Laudatur membri *ligatura.*
Scarificatio.
Exſuctio ope ventoſæ.
Eluitio cum theriaca.

Sed *ſalus* ſolummodo in redemiis *ſpecificis* eſt.

In *viperæ Italicæ* morſu nil prodeſt, quam hauſtus ex mercurio gummoſo & gentiana.

In *viperæ gallicæ* morſu profuit *interne* ſal viperinum, & alia ſalia volatilia alcalina, *externe* linimentum ex ſale viperino.

In *viperæ anglicæ* morſu profuit externe inunctio membri ope calidi olei olivarum, *interne* hoc oleum ad libram mediam potari debet.

In *Caudisonæ* morsu senegam & alcalina volatilia laudant.

In *Najæ* morsu Ophiorrhizam &

In *Illyricæ viperæ* morsu theriacam interne & externe prodesse perhibent.

In *Suecicæ viperæ* morsu folia fraxini applicantur.

In *Vesparum morsu* aqua frigida antitodum est externum.

VULNERA TENDINUM.

In vulnera *semidissectorum* & integre *dissectorum* tendinum dividuntur.

Vulnus tendinis *semidissecti* ab initio nulla symptomata, dein magnam inflammationem & dolorem causat.

Hinc venæ sectione, & cataplasmate emolliente, symptomata auferenda sunt. Dein Essentia mastichina applicatur.

Vulnus *integre* dissecti tendinis solam immobilitatem partis causat, & nulla alia symptomata. Hinc sola unio dissecti tendinis per fascias, & congruum situm adhibenda est.

In ruptura tendinis Achillis pro fascia adhiberi debet *Petitianus Calceus*.

VULNERA NERVORUM.

In vulnera *semidissecti* & *integre* dissecti nervi dividuntur.

Nervus *semidissectus* crudelia symptomata facit, magnum dolorem, inflammationem, spasmum maxillæ & dorsi, sæpe convulsionem & mortem.

Hæc

Hæc ſymptomata I. Venæ ſectione repetita.
II. Cataplaſmate emolliente.
III. Unguento ex balſamo Arcæi cum opio.
IV. Uſu interno opii & mercurii gummoſi ſopiuntur.

Tetanus maxillæ exigit inunctionem mercurialem ad ſalivationem uſque.

Si hæc ſpaſmum non ſiſtant, nervi læſi integra diſſectio, & ſi hæc non ſufficiat, membri amputatio facienda eſt.

Nervus *integre* diſſectus, partis immobilitatem & inſenſilitatem facit. Hæc ſymptomata per vitam durant, licet vulnus ſanetur.

VULNERA VASORUM.

Arteriæ læſio triplex eſt *ſemidiſſectio, integra diſſectio, & læſio ſuperficialis.*

A læſione *ſuperficiali* ſeu ſolius extimæ membranæ arteriæ, non quidem hæmorrhagia ſed anevriſma verum oriri poteſt.

A *ſemidiſſecta* vel *integre diſſecta* arteria enormis hæmorrhagia ſequitur.

Hæmorrhogia arteriæ læſæ ſiſtitur.

I. *Medicamentis adſtringentibus*, ut alcohole vini, oleo terebinthinæ, aqua Thediana, linteo carpto.

II. *Compreſſione* linteolis graduatis.
Fungo agarico.
Charta bibula maſticata.
Compreſſorio.

III. *Ligatura* ope acus & fili.

IV. *Cauterio* ignito.

In majoris arteriæ læſione *medicamenta* raro ſufficiunt.

Compreſſio requirit, ut ſubtus ſit os locatum.

Cauterium ignitum poſt lapſum inuſtæ cruſtæ novam hæmorrhogiam admittit. Hinc

Ligatura certiſſimum eſt hæmorrhagiæ remedium.

Ubi arteria *canali oſſeo* accreta eſt, cera impoſita & ope ſtyli dilacerata arteria, ſæpe ſiſtitur hæmorrhagia.

VULNERA ARTICULATIONUM.

In *penetrantia* & non *penetrantia* dividuntur.

Penetrantia noſcuntur *viſu*, *ſtylo*, & *effluxu* liquidi ſynovialis.

Inflammatio ope fomentorum reſolventium & venæ ſectione ſedatur, & dein vulnus ope ſpiritus vini maſtichini vel pulveris balſamici curatur.

VULNERA OSSIUM.

Oſſa *nudata* vel *læſa* ſpiritu vini maſtichino deligari debent, ne aere frigido, medicamentis pinguibus, aut pure vulneris carioſa fiant.

Idem ſpiritus maſtichinus oſſa *vulnerata* ſanat.

VULNERA VASORUM LYMPHATICORUM.

Noſcuntur ex lympha guttatim effluente.

Curatur lymphæ fluxus aqua Thediana vel extracto Saturni.

VULNERA CAPITIS.

Dividuntur in *penetrantia* & non *penetrantia*. Utraque ſunt *ſimplicia* vel *complicata*.

Complicantur 1. cum *læſione cranii*.
2. *commotione cerebri*.
3. *effuſione ſanguinis* vel
4. *læſione cerebri*.

Capitis *vulnus externum*, id eſt, ſine cranii læſione ut aliud vulnus curatur.

Vulnera cranii in *acuta* & *contuſa* dividuntur.

Vulnera *acuta* ſunt V.

1. *Sedes* eſt vulnus externam tabulam cranii penetrans.
2. *Inciſio* eſt vulnus ad diploem cranii penetrans.
3. *Perciſio* eſt vulnus utramque cranii tabulam penetrans.
4. *Diacope* eſt vulnus oblique uſque in diploem penetrans.
5. *Dedolatio* vulnus tabulæ extimæ partem auferens.

Cum vulnus externum has cranii læſiones comitetur, hinc cranii læſio viſu, & ſtylo facile noſcitur. Curatur ſpiritu maſtichino.

Vulnera cranii *contuſa* ſunt 16.

1. *Denudatio* ſeu contuſio, qua pericranium, vel dura mater a cranio ſecedit.
2. *Hedra* eſt rima extimam tabulam cranii penetrans.
3. *Rima* eſt rima uſque in diploem penetrans.
4. *Fiſſura* eſt rima uſque per intimam tabulam penetrans.
5. *Fiſſura tabulæ internæ*, id eſt, ſine læſione tabulæ externæ.

6. *Contrafissura* est fissura cranii in alio loco, quam qui contusus fuit.

7. *Festuca externa* est cranii contusio, quæ particulam ab externa tabula aufert.

8. *Festuca tabulæ internæ* est particulæ ab interna tabula cranii secessus.

9. *Fractura* est admodum hians cranii fissura.

10. *Impressio cum fractura*, ut in adultis observatur.

Aut *sine fractura*, ut in infantibus contingit.

11. *Camarosis* est partium fractarum elevatio.

12. *Appropinguatio* est, ubi in fractura una pars alteri incumbit.

13. *Diastasis suturæ*, est ubi sutura cranii a se invicem hiando distat.

14. *Jactura substantiæ* est, ubi fragmentum ex cranio ablatum est.

15. *Contusio* quando extima superficies, vel diploe cranii contrita est.

16. *Caries* adest, quando substantia cranii eroditur.

Visibiles cranii læsiones noscuntur visu, vel stylo.

Invisibiles autem, seu ubi vulnus partium mollium non adest; noscuntur inflammatione loci contusi, quæ nulli remedio cedit, & circa septimum diem in suppurationem abit.

Curatio cranii læsi, & tecti exigit incisionem partium contusarum, seu denudationem cranii læsi. Læsum cranium essentia mastichina curatur.

Fragmenta, & *festucæ* cranii eximii debent.

Fere omnes cranii læsiones *complicatæ* esse solent *sanguinis effusione*, vel *cerebri commotione*. Hæc ex *symptomatibus internis* nosci debent.

Sanguinis effusio, & *cerebri commotio* ab initio fere æqualia habent symptomata, ut subito concidunt vulnerati sine sensu, & motu jacent, sæpe bilem vomunt, exit sanguis ex ore, auribus, & naso, convelluntur, vel paralytici sunt.

Si hæc symptomata a sola *commotione cerebri* sunt, tunc intra 24. vel 48. horas evanescunt, si plures venæ sectiones, enemata laxantia, & fomentum ex speciebus cephalicis vino infusis, vel si *fomentatio frigida*, quæ præstat, super caput abrasis capillis adhibeatur.

Sed si hæc *symptomata* tertio die nondum remittant imo augeantur, tunc hæc indicant sanguinem esse *effusum*. Hinc illico super loco cranii læso instituatur trepanatio, ut sanguis effusus exire, aut cranium impressum elevari possit.

Subinde *parvæ* sanguinis effusiones nullum symptoma faciunt ab initio. Sed sanguine effuso putrefacto 17mo vel 20mo die gravia symptomata cerebri inflammati oriuntur. Etiam tunc trepanatio fieri debet, licet hæc in hoc casu raro ægrum salvet.

Sanguinis effusi sedes in cerebri ventriculis, aut basi cranii, aut super corpore calloso trepanatione educi non potest. Hinc hæc effusio absolute lethalis est.

Cerebri, aut *cerebelli vulnus*, quod profundum non eſt ſpiritu maſtichino, vel balſamo commendatoris ſanari poteſt. Sed vulnera cerebri, & cerebelli profunda abſolute lethalia ſunt.

Cranium in infantibus ſine fractura *imprimi* poteſt. Si ventoſa vitrea elevari impreſſio non poteſt, res naturæ committenda eſt, nam ut plurimum ſymptomata ſponte evaneſcunt.

Sed cranium in adultis cum fractura *impreſſum* requirit trepanationem, ut impreſſa cranii pars poſſit elevatorio elevari.

Contrafiſſura noſcitur *motu* ægri *automatico*, *rubore* loci a contuſione cranii diverſi, & *loco* contuſo cranii integro. In contrafiſſura trepanatio non in loco contuſo, ſed in oppoſito, & rubore aut motu automatico indicato, inſtituitur.

VULNERA FACIEI.

Diviſio in *ſimplicia*, & *complicata*.

Vulnus ſupercilio illatum cæcitatem cauſare poteſt.

Vulnus *corneæ* ſequitur effluxus humoris aquei, qui vulnere ſanato iterum reſtituitur. Unio fit oculo clauſo; & deligato; ſitus ægroti ſupinus eſſe debet.

Vulnus *albugineæ*, ſi effluat humoris vitrei magna portio ſequitur cæcitas. Curatio ut prior.

Vulnus *linguæ ſemidiſciſſæ* collutorio ex vino, tinctura myrrhæ, & melle roſaceo curatur.

Vulnus *buccæ*, læſione *ductus ſalivalis* complicatum, noſcitur effluxu ſalivæ copioſæ, relinquit *fiſtulam ſalivalem.*

VULNERA COLLI.

Sunt *ſimplicia*, vel *complicata.*

Vulnus *tracheæ* ſemidiſciſſæ ſutura cruenta integumentorum uniri debet, ſi magnum eſt, ſi autem parvum, ope emplaſtri unitur.

Trachea *penitus* abſciſſa uniri non poteſt, hinc vulnus abſolute lethale eſt.

Vulnus *æſophagi* in loco, quo manus chirurgi pertingere poteſt curabile eſt. *Integra* ruptura æſophagi abſolute lethalis eſt.

Vulnus *nervi recurrentis laryngei* facit linguæ paralyſim, qua loquela amittitur.

VULNERA THORACIS.

Dividuntur in *penetrantia*, & non *penetrantia.*

Penetrantia ſunt *ſimplicia*, vel *complicata.*

Complicantur 1. Cum læſione arteriæ intercoſtalis.
2. —— —— pulmonis.
3. —— effuſione ſanguinis.
4. —— læſione cordis, vel diaphragmatis.

Simplex vulnus penetrans unitur emplaſtro vulnerario, quod corio illitum eſſe debet.

Vulnus *penetrans duplex*, quo in utrumque thoracis cavum aer intrat; ægrotum illico ſuffocat.

Vulnus *penetrans* cum læſione *arteriæ intercoſtalis.*

Hujus arteriæ læſio in parte poſtica abſolute, in parte thoracis laterali, & antica per ſe lethalis eſt. Nam acu curva ſupra coſtam ligari poteſt.

Vulnus *penetrans complicatum* cum *effuſione* ſanguinis in thoracis cavum.

Signa ſanguinis in cavum thoracis effuſi ſunt, anxietas, & ſuffocatio, ſi ager lateri ſano incumbit.

Sanguis effuſus educitur.

I. Situ ægroti in vulnus.

II. Paracentheſi ſupra tertiam infimam coſtam.

Si vero ob anguſtiam vulneris, & ſanguinis coagulati ſpiſſitudinem, ſanguis effluere non poſſet, vulnus dilatatur ſcalpello capitato, & injectione aquæ mellitæ ſanguis diluitur, ut effluere poſſit.

Vulnus penetrans *complicatum* cum *læſione pulmonis.*

Signa ſunt *ſputum* ſanguinis ſpumoſi, & *ſuffocatio.*

Parva pulmonis vulnera naturæ committenda ſunt educto ſanguine in cavum effuſo. *Magna* pulmonis vulnera abſolute lethalia ſunt, aut phthiſi necant.

Vulnera *cordis*, quæ in cavum penetrant citiſſime lethalia ſunt, quæ vero in ſubſtantia carnea ſubſiſtunt ſtatim lethalia non ſunt. Sed ſubinde aliquo tempore elapſo aneuriſma cordis ſequitur.

Vulnus *diaphragmatis.* Si viſcus abdominale per tale vulnus in cavum thoracis penetret, vulnus abſolute lethale evadit, alias non.

Sanguinis vel alius humoris effusio in cavum pericardii, vel cavum posticum mediastini absolute lethalis est.

VULNERA ABDOMINIS.

Dividuntur in *penetrantia*, & non *penetrantia*.

Penetrantia sunt *simplicia*, vel *complicata*.

Vulnera *non penetrantia* fascia uniente, vel emplastro uniri debent.

Vulnera *penetrantia simplicia* sutura cruenta, seu *gastroraphia* unienda sunt.

Vulnera penetrantia esse possunt complicata.

1. Cum incarceratione.
2. --- corruptione, vel
3. --- læsione viscerum prolapsorum, nempe omenti & intestinorum.

Si viscera ob vulneris angustiam *incarcerata* sunt, vulnus dilatari, viscera reponi, & vulnus gastroraphia uniri debet.

Si *intestina* læsa sunt, tunc vel *puncta*, vel *semidiscissa*, vel *integre* scissa sunt. Intestina *puncta* naturæ committuntur. Intestina *semidiscissa*, & *integre* discissa supra tubulum ex charta lusoria consui debent per suturam cruentam, quæ *Enteroraphe* dicitur.

Si *omentum* est gangrænosum, id sine ligatura abscindi debet. Si *intestina* prolapsa essent gangrænosa hæc exscindi, & partes sanæ per enteroraphiam consui deberent.

Si enteroraphia fieri non poſſet, ex ſuperiori inteſtini portione *anus artificialis* confici deberet.

Effuſio humorum in abdominis cavum exigit novam inciſionem in inferiori abdominis parte, ſi ſitu in vulnus non exeant.

Effuſio, cujus ſcaturigo *ſiſti* non poteſt, vel quæ in cavo pelvis, aut celluloſo lumborum cavo extra peritoneum eſt, abſolute lethalis cenſetur.

DE CONTUSIONE.

Contuſio eſt contritio minimorum vaſculorum ſubcutaneorum, quæ *ſugillationem* facit.

Sugillatio eſt effuſio ſanguinis ſub cute. Noſcitur tumore liveſcente, & prægreſſa cauſa contundente.

Curatur 1. *Fomentis* ex oxycrato, vel vino aquato, in quo herbæ reſolventes ſimplices, vel cephalicæ coquuntur. 2. *Venæ ſectionibus.* 3. *Purgantibus.* 4. Demum *inciſione* cutis, qua ſanguis per vulnus emittitur: ſi nimia ſanguinis effuſio adeſt.

DOCTRINA ULCERUM.

DE ULCERIBUS IN GENERE.

Ulcus eſt ſolutio continui lenta, purulenta, ut plurimum a cauſa interna.

Causa *interna* est omnis acrimonia nempe salsa, acida, putrida, venerea, scorbutica, scrophulosa, scabiosa, variolosa, cancrosa.

Causæ *externæ* sunt applicata vesicatoria, vulnera, contusiones, inflammationes, quæ in suppurationem abeunt.

Ulcera dividuntur in *simplicia*, & *complicata*.

Simplex *ulcus* vocatur, quod purum est. *Complicatum*, quod cum impuritate, carne fungosa, callo, carie, vermibus, aut quadam acrimonia complicatum est.

Curatio ulcerum exigit I. *Purificationem*.
II. *Incarnationem*.
III. *Cicatrisationem*.

Purificatio fit medicamentis externis detergentibus, & internis, quæ acrimoniam specifice aufferunt.

Incarnatio fit aquis vulnerariis, vel balsamis vulnerariis.

Cicatrisatio obtinetur exsiccantibus, ut linteo carpto, pulvere exsiccante, extracto saturni, vel alumine usto.

ULCUS SIMPLEX.

Solam *incarnationem*, & *cicatrisationem* exigit.

ULCUS SINUOSUM.

Sinus est ulcus sub cute latens, cujus orificium angustum, sed non callosum est.

Sinus purulentus curatur.

1. Per *injectionem* aquæ vulnerariæ, & dein comprimitur spleniolis graduatis, & fascia.

2. Vel si compressio non succedit, debet fieri *contraapertura* fundi purulenti, aut *si* hæc fieri non potest, tunc.

3. Integra *dissectio* totius sinus purulenti fiat.

Et dein ulcus, ut vulnus simplex curatur.

ULCUS FISTULOSUM.

Fistula est ulcus profundum, cujus orificium angustum, & callosum est.

Curatio exigit, ut aufferatur *callus*, deinde ut sinus profundus curetur.

Callus auffertur 1. *Exscindendo*, vel
2. *Caustico*, ut butyro antimonii

Ablato callo curatur sinus purulentus, ut in priori capite docetur.

Ut plurimum præstat totam fistulam adeo *discindere*, ut vulnus apertum fiat.

ULCUS FUNGOSUM.

Est ulcus, cujus superficiem obsidet *caro fungosa*.

Caro fungosa 1. vel *totam superficiem* obsidet.
2. vel hinc inde in superficie *papillas fungosas* format.
3. vel tota superficies in *magnum fungum* excrescit.
4. Et si caro fungosa admodum *dolet*, & *livet*, *cancrescens* vocatur.

Si *tota* superficies fungosa est, tunc alumine usto consumitur.

Si ſolummodo *papillæ fungoſæ* adſunt, hæ lapide infernali tanguntur.

Si *altus fundus* adeſt. Ille vel ligatura, vel cultro auferri debet.

Cancreſcens fungoſitas pulvere flammulæ jovis, vel oleo camphoræ cauſtico conſummi debet.

ULCUS LARDACEUM.

Ulcus, cujus ſuperficies ſordida, & ut *lardum* alba eſt.

Lardum auffertur unguento fuſco, vel ægyptiaco.

Si autem ulcus *venereum* eſt inſperſo mercurio dulci, vel præcipitato rubro.

Ablata lardacea ſuperficie curatur, ut ulcus ſimplex.

ULCUS SCORBUTICUM.

Eſt ulcus, quod ab *acrimonia ſcorbutica* naſcitur.

Signa ſcorbuti ſunt gingivæ cruentæ, & fungoſæ, maculæ lividæ in cruribus, & laſſitudo genuum.

Ulcera ipſa livida, & utplurimum fungoſa ſunt.

Externe prodeſt aqua calcis, vel aqua vitriolica cum ſuccis antiſcorbuticis.

Interne Serum lactis, vel juſculum cum ſuccis antiſcorbuticis, & fructibus maturis exhiberi debent.

Tempore hiemali cereviſia raphanacea, aut muſtum malti, aut conſervæ antiſcorbuticæ dantur.

Mercurialia ſcorbuticis nocent.

Stomacace, id eſt, *ſcorbutus gingivarum* exigit *collutorium* ex decocto cort. peruviani, ſalvia, tinctura myrrhæ, ſpiritu ſalis, & melle roſarum.

ULCUS VENEREUM.

Eſt ulcus, quod ab *acrimonia venerea* oritur.

Noſcitur ex præſentibus, vel prægreſſis aliis morbis venereis, ut ulcuſculis glandis, gonorrhæa, bubonibus, condylomatibus, tophis, cephalea nocturna, dolore oſteocopo nocte exacerbato, maculis venereis in fronte.

Sedes horum ulcerum frequentiſſima ſunt fauces, frons, glans, præputium glandis, inguina, vagina.

Curantur externe. Aqua phagedænica, aut balſamo mercuriali, aut ſolutione aquoſa ſublimati.

Interne datur in omnibus morbis venereis mercurius gummoſus ad gr. xx. cum decocto lignorum, & Sarſaparillæ, vel Bardanæ.

ULCUS CANCROSUM.

Eſt ulcus, quod ab *acrimonia cancroſa* oritur.

Triplex eſt, *glandulare*, *nerveum*, *fungoſum*.

Cancer gandularis a ſcirrho exulcerato oritur, labia inverſa, fungoſa, luridi coloris habet, ſimulque dolet, & fœtet.

Cancer nervoſus a verruca, vel tuberculo faciei irritato utplurimum oritur, cutem late, & ſine fungoſitate exedit.

Cancer fungoſus magnum fungum format, qui admodum dolet, ardet, fœtet.

Specificum cancri eſt cicuta externe, & interne adhibita.

Externe applicatur herba cocta in fomento, vel cataplasmate, vel extractum in aqua calcis solutum.

Interne datur extractum ad gr. x. bis de die in pillulis.

In *cancro fungoso* simul adspergitur pulvis flamulæ jovis, vel sedi acris.

ULCUS CARIOSUM.

Ulcus, in cujus fundo os corruptum, & carne fungosa *tectum* est.

Caries noscitur ulceris fœtore rancido, nigrescente sanie, & stylo per carnem fungosam intruso.

Ulcus cariosum sanari non potest, nisi prius caro fungosa aufferatur. Sed de cariei sanatione *vide* doctrinam de morbis ossium.

ULCUS INVETERATUM.

Ulcus, quod jam *antiquum* est, non sine periculo curatur, si subito exsiccetur. *Interne* purificantia sanguinem, & nitrum camphoratum. *Externe* aqua vulneraria cum mucilagine camphorata applicentur.

ULCUS GANGRÆNOSUM.

Ulcus, quod subito lividum, fœtidum, laxum, & insensile evadit *gangrænosum* fit.

Interne cortex peruvianus ad ʒj. omni bihorio cum camphora, vel vino exhibetur. *Externe* fomentum antisepticum ex ruta, cort. peruviano, camphora, & vino rubro applicandum est.

ULCUS VERMINOSUM.

Vermes in ulceribus necantur oleo terebinthinæ, inſperſo mercurio dulci, eſſentia aloes, vel elixirio vitrioli.

DE ULCERIBUS IN SPECIE.

ULCERA CAPITIS.

FREQUENTISSIMA ulcera capitis, *ſcabies*, & *tinea* ſunt. Vide *morbos cutis*.

OZENA.

Eſt *ulcus* malignum in naribus. Hoc *cancroſum*, vel *venereum*, vel *carioſum* eſt.

Curatur injectionibus in nares, quæ pro diverſitate ulceris, variæ eſſe debent.

ULCUS MEATUS AUDITORII.

Noſcitur *aurifluxu* purulento.

Subinde talis aurifluxus purulentus adeſt ſine ulcere.

In utroque caſu fiant injectiones purificantes ex decocto rutæ cum melle roſaceo.

FISTULA SALIVALIS.

Eſt *fiſtula* in externa ſuperficie buccæ, quæ a læſione ductus ſalivalis originem habet.

Curatur.

Curatur. 1. Perforatione buccæ ope acus craſſæ, &
2. immiſſione fili cerati, quod per fiſtulam ex ore educitur.
3. Interno orificio buccæ calloſo reddito, externum orificium fiſtulæ ſanatur.

FISTULA MAXILLARIS.

A dente *carioſo* ſæpe in inferiori, vel ſuperiori maxilla oritur *fiſtula*, quæ evulſo dente carioſo facile ſanari, ſine hac evulſione autem ſanari non poteſt.

Sed *fiſtula maxillæ ſuperioris*, quæ ab ulcere *Antri Higmoriani* provenit, curatur I. *evulſo* medio dente molari ſuperiori. II. Dein facta perforatione alveoli, & III. *injectione* aquæ vulnerariæ per alveolum in Antrum Higmori.

Pro injectione etiam inſervit decoctum rutæ cum eſſentia myrrhæ & melle roſaceo.

ULCERA FAUCIUM.

Utplurimum venerea ſunt, in his dantur *externe* gargariſmata mercurialia.

APHTÆ.

Sunt parva albicantia *ulcuſcula* oris, linguæ, & faucium.

In infantibus curantur aqua vitriolica cum melle roſaceo.

Aphtæ *ſcorbuticæ* curantur, ſi ſpiritu ſalis cum melle roſaceo ope pernicilli quotidie tangantur.

ULCERA COLLI.

Externa colli ulcera utplurimum *ſcrophuloſa* ſunt.

Interne dantur *antiſcrophuloſa.*

FISTULA THORACIS.

Fiſtulæ, quæ ab abſceſſu pulmonis, vel empyemate thoracis originem ducunt, curari non debent, niſi prius curatum ſit ulcus pulmonum.

Sic etiam res ſe habet cum *fiſtulis abdominalibus.*

FISTULA ANI.

Eſt ulcus ſinuoſum, vel fiſtuloſum circa inteſtinum rectum.

Fiſtula ani dividitur in *completam.*

— *externam.*

— *internam.*

Completa vocatur, quæ duo orificia, unum in inteſtino recto, alterum externe in cute circa anum habet.

Noſcitur immiſſione ſtyli, & exitu fœcum per orificium externum.

Curatur ſola operatione, quæ conſiſtit in integra perſciſſione omnium partium ſub fiſtula ſitarum.

Fiſtula ani *externa* eſt illa, quæ orificium in cute externa ani, ſine orificio in inteſtino recto habet.

Noſcitur ſtylo non penetrante in inteſtini recti cavum, nullo exitu fœcum ex orificio externo.

Curatio poteſt injectionibus detergentibus tentari, ſed raro proſunt, ſola operatio prodeſt.

Fiſtula ani *interna* eſt illa, quæ orificium in inteſtino recto, nullum autem in cute externa circa anum habet.

Noſcitur 1. effluxu puris ex inteſtino recto ante vel poſt depoſitionem fœcum. 2. Tumore purulento, vel macula rubra externa circa ani ambitum. 3. Subinde immiſſione digiti in anum.

Etiam rariſſime injectionibus *curatur*. Sed curatur 1. *inciſione* abſceſſus externi. 2. Perſciſſione integra inteſtini recti cum omnibus partibus ſubjacentibus.

Facta operatione vulnus adeſt, quod ut aliud ſanatur.

FISTULA PERINÆI.

Originem habet ab eroſa urethra, vel veſica urinaria.

1. *Catheter* vel candelula cava diu in urethra, & veſica relinquitur, ne ſtillet urina perpetuo per fiſtulam, & ſanationem impediat.
2. Callus ſi adeſt, cauſtico aufertur.
3. Demum aqua vulneraria ulcus ſanatur.

Fiſtula urinaria ab urethra in *vaginam* patens apud mulieres eſt incurabilis, niſi poſt partum catheter, vel candelula cava applicetur, contra urinæ ſtillicidium inſtrumentum *compreſſorium* applicatur.

DOCTRINA TUMORUM.

DE TUMORIBUS IN GENERE.

TUMOR est præternaturalis *elevatio* in quadam corporis parte.

In genere *dividuntur* tumores in *calidos* & *frigidos*.

Calidi vocantur, qui ab inflammatione oriuntur. *Frigidi* autem, qui ab alia causa pendent.

A materia contenta *dividuntur* tumores in 18. *Classes*, ut sunt:

1. *Tumores inflammatorii.*
2. ——— *purulenti.*
3. ——— *gangrænosi.*
4. ——— *indurati.*
5. ——— *aquei.*
6. ——— *sanguinei.*
7. ——— *cystici.*
8. ——— *excrescentiales.*
9. ——— *Ossei.*
10. ——— *articulares.*
11. ——— *terrei.*
12. ——— *aerei.*
13. ——— *salivales.*
14. ——— *biliosi.*
15. ——— *lactei.*
16. ——— *urinosi.*
17. ——— *herniosi spurii.*
18. ——— *Organici.*

I. CLASSIS.

TUMORES INFLAMMATORII.

Tumores, qui ab inflammatione nascuntur, *inflammatorii* vocantur.

Noscuntur rubore, calore, dolore, tensione.

Causa pròxima inflammationis est, *stimulus externus*, vel *internus*, qui nervos vasorum irritat.

Vulnus nervi, contusi, ambustio, gelu, fractura, luxatio, vesicatorium, vel aliud acre applicatum agit, ut *stimulus externus*.

Acrimonia in partem aliquam decumbens, ut venerea, scorbutica, variolosa, biliosa, putrida, *specifica*, agit ut *stimulus internus*.

Exitus inflammationis est *quadruplex*. Resolutio, suppuratio, induratio, vel gangræna partis inflammamatæ.

Resolutio prædicitur, si tumor & ejus quatuor *primaria* symptomata *sensim* remittant.

Suppuratio prædicitur, si hæc quatuor symptomata *sensim* increscant, & medietas tumoris mollior evadat.

Induratio prædicitur, si symptomata *sensim* remittant, sed *tensio* tumoris increscat.

Gangræna prædicitur, si omnia symptomata *subito* remittant, & loco caloris, *frigus*, loco ruboris, *lividitas*, loco doloris, *insensilitas*, loco tensionis *flacciditas* in parte inflammata oriatur.

Curatio inflammationis exigit

1. Venæ sectionem, &

2. Fomentum ex oxycrato, vel
——————— vino aquato.
——————— aqua vegetomineralı, vel ex
——————— herbis resolventibus.

Species tumorum inflammatoriorum sunt *communes* vel *propriæ*.

Communes sunt: *Phlegmone.*
Furunculus.
Erysipelas.
Tumor pestilentialis.
Pernio.
Ambustio.

Propriæ sunt: *Ophtalmia.*
Angina.
Parylis.
Parotis.
Inflamatio mammæ.
——————— *testiculi.*
Phymosis.
Paraphymosis.
Bubo.
Panaritium.

PHLEGMONE.

Est inflammatio *membranæ adiposæ.*

Dividitur in phlegmonem *circumscriptam* & *extensam*.

Phlegmone circumscripta, tumorem ovi gallinacei magnitudinem non excedentem format, qui utplurimum in abscessum abit.

Curatio ergo exigit, ut suppuratio ope emplastri diachilon & cataplasmatis emollientis promoveatur.

Phlegmone autem *extensa*, quæ latam inflammationem membranæ adiposæ, totam fere partem occupantem, facit, ut in fracturis & contusionibus observatur, per fomenta resolventia & venæsectiones facile resolvi potest.

FURUNCULUS.

Est inflammatio *glandulæ subcutaneæ*.

Noscitur tumore inflammatorio, ovi columbini magnitudinem non excedente.

Raro resolvitur, utplurimum sed tarde in abscessum abit. Hinc

Curatio exigit suppurantia.

ERYSIPELAS.

Est inflammatio *cutis* a depositione acrimoniæ biliosæ.

Noscitur tumore lato, colore rosaceo a digiti pressione evanescente, & prægressa febre.

Curatur purgantibus & externis fomentis ex farinis resolventibus, atque floribus sambuci.

Pinguia & repellentia sunt in erysipelate nocua, priora gangrænosam suppurationem & *repellentia* repulsionem morbi ad viscera vitalia faciunt.

Repulsum erysipelas vesicantibus, synapismis parti prius affectæ appositis, & purgantibus revocatur.

TUMOR PESTILENTIALIS.

Est tumor inflammatorius, durus, qui a miasmate pestis nascitur.

Noscitur ex præsenti epidemia pestilentiali.

In inguine, ſub axillis, & aliis locis oriuntur.

Reſolutio & receſſus tumoris lethalis eſt. Hinc illico maturantibus ſuppuratio moveri, & dein cultro, vel lapide cauſtico aperiri debet.

PERNIO.

Eſt tumor inflammatorius, a *gelu* productus.

Naſcitur maxime in pedibus vel manibus, vel in apice naſi.

Abit in ſuppurationem vel gangrænam, ſi calida applicentur.

Frigus ex parte per aquam frigidam, vel nives impoſitas extrahitur. Dein unguentis nervinis & pinguibus curatur. Ut *unguento ad perniones.*

AMBUSTIO.

Eſt tumor inflammatorius *igne* productus.

Noſcitur ex prægreſſa cauſa.

Dolor & ardor ſopitur aqua frigida, dein unguento albo curatur.

ANGINA.

Eſt inflammatio *faucium.*

Dividitur in *viſibilem* & *inviſibilem.*

Viſibilis ſedem habet in *amygdalis*, *uvula*, *velo palatino* vel *pharynge* & hæc angina noſcitur *inſpectione* faucium.

Inviſibilis ſedem habet in *larynge* vel *trachea.* Inſpectione faucium inflammatio videri non poteſt,

ſed noſcitnr voce glangoſa, difficili reſpiratione & deglutitione.

Viſibilis non adeo *periculoſa* ac inviſibilis, quæ ægrotum ſæpe ſuffocat.

In utraque ſpecie anginæ *reſolutio* inflammationis tentari debet

1. Per repetitas *venæ ſectiones.*
2. Per *purgantia eccoprotica*, vel *enemata* ex ſale amaro, ſi æger deglutire non poſſit.
3. Per *cataplaſmata emollientia*, & ſimul *irritantia* ex ſemine lini & ſynapi.
4. Per *gargariſmata reſolventia*

ut 1. ex *oxycrato* cum melle roſaceo.

2. ex *aqua vegetominerali.*

3. ex *Decocto* ſpecierum *reſolv.* cum nitro & melle roſaceo.

His gargariſmatibus ægrotus ſe gargariſare poteſt, vel ſua ſponte vel ope injectionis.

Si angina hac methodo non evaneſceret, & æger jam in ſuffocationem incideret, tunc illico *tracheotomia*, fieri debet.

Si vero *angina faucium* in ſuppurationem abiret, tunc *gargariſmata emollientia* ex ficubus & herbis emollientibus in lacte coctis adhibeantur, donec ſua ſponte abſceſſus in faucibus rumpatur.

Si vero talis abſceſſus ſuffocationem minaretur, tunc lanceola occulta, quæ *pharyngotomus* vocatur, aperiri debet.

Si angina tranſiret in *gangrænam* & maculæ nigricantes in faucibus cum magna debilitate adeſ-

ſent, tunc *gargariſma antiſepticum* ex cortice peruviano, ruta & camphora applicatur. *Interne* ab initio vomitoria dein antiſeptica dantur.

Si *angina tonſillarum* in ſcirrhum ſeu indurationem abiret, tunc *gargariſma* ex cicuta in lacte cocta externe, extractum cicutæ autem interne datur.

Angina venerea, quæ ulcera lardacea faucium format, *interne* mercurium gummoſum, *externe gargariſma mercuriale*, quod ex decocto ſarſaparillæ, mercurio dulci, & melle roſaceo componitur, exigit.

Ex his ergo patet anginam commode dividi poſſe in 1. *Inflammatoriam.* 2. *Suppuratoriam.* 3. *Gangrænoſam.* 4. *Scirrhoſam.* 5. *Veneream.*

PAROTIS.

Eſt *inflammatio* glandulæ parotidis, quæ in morbis acutis ſæpe critice contingit.

Parotis metaſtatica reſolvi non debet, alias redit morbus acutus; ſed illico emplaſtris emollientibus, & ſimilibus cataplaſmatibus ſuppuratio promoveatur, & factus *abſceſſus* cauſtico vel lanceola aperiatur.

INFLAMMATIO MAMMÆ.

Sedes hujus inflammationis eſt *triplex*, in *cute*, in *pinguedine*, in *glandulis mammariis.*

1. *Cutanea* facile reſolvitur.
2. *Pinguedinoſa* difficilius reſolvitur, ſed facile in ſuppurationem abit.

3. *Glandularis*, quæ profunda tubercula calida facit, ſæpe in ſcirrhum abit.

Curatio requirit *reſolutionem*, quæ ut in aliis locis.

1. *Fomentis reſolventibus ſiccis* vel *humidis.*
2. *Venæ ſectione*, &
3. *Lenibus purgantibus* peragitur.

De inflammatione *teſticulorum*, *phymoſi*, *paraphymoſi* & *bubonibus* vide morbos veneros de *parylide* autem morbos dentium.

PANARITIUM.

Panaritium ſeu *Paronychia* eſt inflammatio in apicibus digitorum manus vel pedis.

Sedes eſt quadruplex 1. in *integumentis communibus.*
2. in *vagina tendinum.*
3. in *perioſteo.*
4. in *pulpa* ſub *ungue.*

Signa panaritii *cutanei* ſunt viſibilis intumeſcentia inflammatoria.

Signa panaritii in *vagina tendinis* ſunt tumor exiguus, ſed dolor ingens, qui usque ad condylum humeri ſe extendit.

Signa panaritii in *perioſteo* ſunt tumor exiguus, ſed dolor vehemens, qui usque in axillam ſe extendit.

Signa panaritii ſub *ungue* ſunt dolor & rubor ſub ungue conſpicuus.

Prognosis. Panaritium *cutaneum* non est periculosum. Panaritium *tendinis* facit sæpe longos sinus purulentos, qui vaginam tendinis ad volam manus usque occupant. Panaritium *periostei* facit sæpe cariem phalangis, & panaritium *sub ungue* corruptionem & lapsum unguis.

Curatio exigit, ut *incipiens* inflammatio resolvatur quod fit: 1. *balneo* digiti in aqua vegetominerali, vel *fomento* ex herbis resolventibus.

Si *resolutio* intra 24. horas non contingat, illico ope emplastri diachilon & cataplasmate emolliente *suppuratio* promoveri debet, & post 24. horas fiat incisio abscessus.

Incisio longitudinalis, & in eo loco fieri debet, ubi dolor primus incipit.

Si jam longi *sinus purulenti* in vagina tendinis adessent, hi omnes ope sulci & cultri aperiri debent.

Si jam *caries phalangis* adest, applicetur pulv. mastichinus, vel spiritus mastichinus. Subinde tota phalanx cariosa ope forcipis extrahi potest, sic citius hæc ulcera sanantur.

Si *unguis corruptus* non sua sponte secedat, quotidie quantum fieri potest abscindi, vel extrahi debet. Nam nisi unguis corruptus auferatur ulcus non sanatur.

II. CLASSIS.

TUMORES PURULENTI.

Tumores, qui pus continent, vocantur *tumores purulenti* seu *abscessus.*

Huc pertinent

1. *Abſceſſus.*
2. *Tumor metaſtaſticus* ſeu *criticus*, &
3. *Empyema.*

ABSCESSUS.

Abſceſſus oriuntur a prægreſſa inflammatione alicujus partis.

Signa abſceſſus ſunt tumor inflammatorius in medietate prominens, albicans, fluctuans.

Curatio abſceſſus exigit, 1. ut *incipiens ſuppuratio* promoveatur. 2. Ut abſceſſus in loco fluctuante aperiatur.

Suppuratio promovetur. 1. *Emplaſtro* diachilon ſimplici 2. *Cataplaſmate emolliente* ex mica panis albi, lacte, butyro, croco.

Apertura abſceſſus duplici modo fieri poteſt

1. *Lanceola* vel
2. *Lapide cauſtico.*

Facta apertura continuatur emollitio tumoris, & ſuppuratio ope unguenti baſiliconis, vel balſami arcæi & cataplaſmate emolliente. Et demum ſanatur ope aquæ vulnerariæ, vel balſami vulnerarii ut *ulcus ſimplex.*

TUMOR METASTATICUS.

Abſceſſus, qui oriuntur ſubito & ſine prægreſſa inflammatione partis, vocantur *abſceſſus metaſtaſtaſtici.*

Oriuntur in febribus calidis a depoſitione puris ex ſanguine, & debent ut alii abſceſſus brevi aperiri, & ſic curari.

EMPYEMA.

Eſt *abſceſſus* inter coſtas, vel *effuſio* puris in cavum thoracis.

Hinc *dividitur* empyema in *externum* & *internum*.

Empyema externum cultro ut abſceſſus aperitur.

In *empyemate interno* pus e cavo thoracis per paracentheſim thoracis evacuari debet.

III. CLASSIS.

TUMORES GANGRÆNOSI.

Gangræna eſt alicujus partis *mortificatio*, ſeu perfecta putredo.

Dividitur mortificatio in *gangrænam*, &
in *ſphacelum*.

Gangræna eſt mortificatio integumentorum communium.

Sphacelus eſt mortificatio omnium partium mollium ad oſſa usque.

GANGRÆNA.

Signa, quod gangræna jam adſit, ſunt, ſi

1. *Dolor* inflamationis in *inſenſilitatem*.
2. *Calor* ——— in *frigus*.
3. *Rubor* ——— in *lividitatem*.
4. *Tenſio* ——— in *flacciditatem* abeat, &

5. *Epidermis* in magnas veſicas, putrido humore plenas, & *cadaveroſum odorem* ſpargentes, ſe elevet.

Signa ſphaceli ſunt, ſi omnes partes molles ad oſſa uſque ſine dolore *pungi* ac *ſcindi* poſſunt.

Prognoſis. Gangræna tranſit in ſphacelum, ſphacelus in mortem.

Curatio gangrænæ exigit 1. ut putredini *limites* ponantur. 2. Ut omne jam putridum a ſano *ſeparetur.*

Limites ponuntur putredini 1. per *ſcarificationes*, 2. per *medicamenta antiſeptica.* Hinc *interne* omni bihorio detur drachma corticis cum 3. granis *camphoræ.* *Externe* applicatur *fomentum* ex pulvere camphoræ, corticis & rutæ, cum aceto contritis.

Separatio gangrænoſi a ſano fit, ſi natura in limite loci gangrænoſi ſuppurationem facit.

Sphacelus eadem methodo curatur, ſi *topicus* eſt; ſi vero totum membrum occupat tunc illud amputari debet. Sed in ſphacelo a cauſa interna amputatio nihil juvat.

NECROSIS SEU GANGRÆNA SICCA.

Eſt mortificatio, qua partes ſine prægreſſa inflammatione nigræ, ſiccæ, & inſenſiles fiunt.

Cauſa proxima eſt, eſus panis ex frumento corrupto vel ætas ſenilis vel ambuſtio.

Gangræna ſicca, externe & interne camphoram exigit, nec ſcarificatio, nec amputatio, nee cortex peruvianus in *ſphacelo ſicco* quidquam profuit.

CARBUNCULUS.

Carbunculus ſeu *Antrax* eſt tuberculum inflammatorium quod intra 24. horas in gangrænam abit.

Cauſa proxima eſt peculiare miaſma peſtilentiale.

Hinc *interne* camphora cum cortice & aceto rutaceo dari debet.

Externe, facta ſcarficatione applicatur fomentum antiſepticum, & unguentum de ſtyrace cum camphora.

IV. CLASSIS.

TUMORES INDURATI.

Tumores, qui in *induratione* glandulæ vel alius partis conſiſtunt, ſic vocantur.

In hanc claſſem pertinent.

1. *Scirrhus.*
2. *Carcinoma.*
3. *Scrophulæ.*
4. *Struma.*
5. *Tuberculum.*

SCIRRHUS.

Eſt *induratio* alicujus glandulæ.

Signa ſunt tumor durus, indolens, inæqualis, cuti concolor.

Sedes frequentiſſima eſt in mammis.

Prognoſis. Scirrhus benignus tranſit in malignum, malignus tranſit in cancrum.

Dividitur ſcirrhus in *benignum*, qui ſine dolore eſt.
in *malignum*, qui dolet.

Curatio.

Curatio Scirrhi exigit resolvens *specificum*, quod *cicuta* est. Hinc

Interne quotidie XX. grana extracti cicutæ dantur.

Externe applicatur interdiu cataplasma cicutæ, de nocte autem emplastrum de cicuta & gummi ammoniaco.

Omnia *acria* & *pinguia* remedia sunt in Schirrhis nocua.

CARCINOMA SEU CANCER.

Est *Scirrhus*, qui dolet & livescit.

Dividitur in *cancrum occultum*, qui non exulceratus, &
in *cancrum apertum*, qui exulceratus est.

Specificum in cancro oculto & aperto est *cicuta*. Hæc ergo ut in scirrhis externe & interne adhibeatur.

Carcinoma quod cicuta curari non potest, exstirpari debet.

Carcinoma *apertum* est ulcus cancrosum, de quo in doctrina de *ulceribus* diximus.

SCROPHULÆ.

Sunt indurationes glandularum submaxillarium, & colli.

Ad *resolutionem* scrophularum adhiberi debent
Cortex peruvianus cum *cicuta*.
Aqua marina.
Aethiops mineralis.

Externe ut in scirrho cicutæ emplastrum vel cataplasma adhibetur.

STRUMA.

Eſt *induratio* glandulæ thyroideæ & anticæ partis colli.

Signa ſunt oblongus, duriuſculus tumor in antica colli parte.

Cauſa proxima eſt peculiaris acrimonia, quæ *ſtrumoſa* vocatur, & quibusdam regionibus endemia eſt, ut Tyrolenſibus, Helvetis &c.

Incipiens Struma curatur pulvere contra ſtrumas, ſeu ex teſtis ovorum toſtis.

TUBERCULUM.

Parvus tumor induratus ſic vocatur.

Tubercula in *benigna* & *maligna* dividi, atque ut ſcirrhus curari debent.

In *facie* ſæpe talia liveſcentia tubercula oriuntur, quæ male tractata in cancrum ſæpe abeunt.

V. CLASSIS.

TUMORES AQUOSI.

Sunt tumores, qui *aquam* intra ſe continent.

Sequentes 9. tumores in hanc *claſſem* pertinent.

1. *Oedema.*
2. *Tumor ſeroſus.*
3. *Tumor lymphaticus.*
4. *Anaſarca.*
5. *Hydrocephalus.*
6. *Spina bifida.*
7. *Hydrothorax.*
8. *Aſcites.*
9. *Hydarthron.*

OEDEMA.

Eſt tumor *aquoſus*, qui a digito impreſſo foveam retinet.

Sedes eſt ut plurimum in cruribus, rarius in manibus.

Signa ſunt tumor totius partis, frigidus, indolens, cuti concolor, mollis, a digito impreſſo foveam retinens.

Oedema curatur ſi in crure eſt

1. *Ligatura* totius cruris ope faſciæ circularis.
2. *Fomento roborante* ex aqua calcis & ſpiritu vini camphorato.
3. *Fomento ſicco* ex farinis reſolventibus & camphora.
4. *Frictionibus ſiccis* cum fumo aromatico.

Demum interne ſimul dantur purgantia & diuretica.

Laudantur etiam *veſicatoria* & *ſcarificatio* ſed in *inveteratis oedematibus* hæc duo remedia ſubinde gangrænam faciunt.

Oedema calidum ut inflammatio curari debet.

TUMOR SEROSUS.

Eſt tumor, qui *ſerum* limpidum non pituitoſum continet, & foveam a digito impreſſo non retinet.

Curatur ut Oedema.

TUMOR LYMPHATICUS.

Eſt tumor aquoſus, qui a *ruptura* vaſis lymphatici oritur.

Dividitur in *tumorem lymphaticum incipientem.*
— —— —— *ſuppurantem.*
— —— —— *apertum.*

Signa tumoris lymphatici *incipientis* ſunt tumor bifloreni magnitudine, planus, indolens, cuti concolor, rotundus, multos menſes volumen lente augens.

Signa tumoris lymphatici *ſuppurantis* ſunt ſi talis tumor dolens, flaveſcens, ſubito volumen augens, ubique fluctuans fiat.

Signa tumoris lymphatici *aperti.* Tumor rumpitur, effluit multa & tenuis lympha purulenta, totus tumor collabitur manet ulcus pallidum, in toto ambitu cavum, multum lymphæ purulentæ tenuis plorans. Subinde excreſcit caro fungoſa pallida, ſequitur febris lenta, & poſt aliquot menſes mors.

Sedes hujus tumoris eſt, ubi vaſa lymphatica ſunt, non alio in loco.

Curatio exigit ut tumor illico aperiatur, & dein aqua Thediana ſanetur. Si caro fungoſa excreſcat, hæc pulvere vitrioli cærulei conſumi debet.

ANASARCA.

Eſt *œdematoſa* totius corporis intumeſcentia.

Curatur roborantibus & diureticis.

HYDROCEPHALUS.

Eſt *capitis* intumeſcentia aquoſa.

Diviſio eſt in *hydrocephalum externum* ubi aqua extra cranium.

— ——— *internum* ubi aqua intra cranium eſt.

Signa hydrocephali *externi* ſunt oedometoſa totius capitis intumeſcentia.

Signa hydrocephali *interni* ſunt magna capitis intumeſcentia, quæ digiti impreſſi foveam non retinet, & hiatum magnum inter ſuturam ſagittalem habet.

Hydrocephalus *externus* eſt ſanabilis, *internus* ratiſſime.

——————— externus curatur ut œdema cruris.

1. *Fomentis* roborantibus, & interne datis *diureticis.*
2. *Scarificatione* in nucha.
3. *Veſicatorio* in nucha.

Interni hydrocephali *curatio* iisdem medicamentis tentari debet. *Trepanatio cranii* hunc morbum non curat, ſed ægrum citius necat.

SPINA BIFIDA.

Eſt tumor aquoſus, qui medullæ ſpinali intra fiſſas vertebras inſidet.

Hic morbus eſt morbus *neonatorum*, & ut plurimum in vertebris lumborum *ſedem* habet.

Cauſa proxima eſt effuſio lymphæ in ſpecum vertebralem.

Signa ſunt tumor fluctuans, indolens, cuti concolor, qui inter vertebras eſt, ad latera tumoris tanguntur proceſſus ſpinoſi, & adeſt paralyſis extremitatum inferiorum.

Tumor incurabilis eſt, & ſemper lethalis. *Inciſio* tumoris mortem accelerat.

HYDROTHORAX.

Eſt *hydrops* thoracis, ſeu *effuſio* aquæ in cavitates thoracis.

Si medicamenta diuretica non juvant fieri debet *Paracentheſis thoracis.*

ASCITES.

Eſt *hydrops* abdominis, ſeu *effuſio* aquæ in cavum abdominis.

Si morbus per medicamenta diuretica curari non poteſt, tunc *paracentheſis abdominis* inſtituatur.

HYDARTHRON.

Eſt *hydrops* articulationis, ſeu *effuſio* aquæ in cavitatem alicujus articulationis.

Sedes frequentiſſima eſt in articulo genu.

Signa ſunt intumeſcentia totius genu, quæ fluctuans eſt, patellam coronat, cuti concolor, ab initio indolens, ſenſim doloroſa fit.

Curatio fit per *reſolutionem* vel per *inciſionem.*

Reſolutio tentatur

1. *Fomentis ſiccis* ex farinis reſolventibus cum camphora.
2. *Gummi ammoniaco* aceto in formam emplaſtri cocto vel linimento ex *radice mandragoræ* & melle.
3. *Interne* diuretica & purgantia dantur.

Si hiſce remediis tumor non cedat, tunc per *inciſionem* aqua emittatur. *Parva inciſio* fiat in extima genu parte juxta patellam.

Aqua evacuata illico vulnus emplaſtro tenaci tegatur, ne aer intrare poſſit. Injectiones in cavum articulationis ſunt nocuæ.

Fomenta roborantia poſt operationem continuentur.

Si in *inveterato* hydrope articulationis jam oſſium caries adſit, tunc amputari debet membrum, ne æger febri lenta pereat.

VI. CLASSIS.

TUMORES SANGUINEI.

Sic vocantur tumores, qui ſanguinem recondunt.

Hæc claſſis continet 5. ſpecies.

1. *Ecchymoſis.*
2. *Aneuriſma verum.*
3. ——— *ſpurium.*
4. *Varix.*
5. *Hæmorrhois.*

ECCHYMOSIS.

Eſt tumor ab *effuſione* ſanguinis in telam celluloſam e vaſis minoribus facta. Vid. *Contuſionem*.

ANEURISMA VERUM.

Eſt præternaturalis dilatatio alicujus arteriæ.

Signa ſunt tumor *pulſans*, qui ſenſim magnitudinem ovi acquirit, indolens, & cuti concolor eſt.

Sed aneurismata vera *inveterata* & admodum *magna* vix amplius pulsant.

Causa proxima est laxitas, in quodam loco arteriæ. Hinc a prægressa contusione, corrosione, vel vulnere exterioris membranæ arteriæ oritur.

Sedes frequentissima est in flexura cubiti a prægressa mala venæ sectione.

Prognosis. Tumor est periculosus, a ruptura *sub* cute, *aneurisma spurium*, a ruptura *per* cutem, *mors* subito contingere potest.

Curatio per *compressionem* vel per *operationem* fieri debet. *Compressio* fiat 1. per *linteola* graduatim posita.

2. — *suberem excavatum.*

3. — *peculiare compressorium.*

Compressio sensim augeri, & subinde per annum continuari debet.

Operatio fieri debet in aneurismatibus inveteratis & adeo magnis ut comprimi non amplius se sinant.

ANEURISMA SPURIUM.

Est sanguinis effusio in telam cellulosam a magna arteria læsa.

Signa sunt tumor latus, lividus, *parum pulsans.*

Causa proxima est aneurisma verum ruptum, vel arteriæ vulnus, ruptura, vel erosio.

Curatio tentatur ut in vero 1. per *compressionem.* 2. per *operationem.*

Minora aneurismata spuria *compressione.*

Majora, quæ comprimi non possunt *operatione* curari debent.

VARIX.

Est præternaturalis unius vel plurium venarum *dilatatio* in nodosos tumores.

Sedes frequentissima est in cruribus mulierum gravidarum.

Curatio varicis exigit 1. *Compressionem*, quæ ope fasciæ vel tibialium artificialium fieri debet. 2. per *Fomenta adstringentia.*

HÆMORRHOIS.

Est *dialatatio* venarum hæmorrhoidalium intra vel extra anum.

Hæmorrhoides dividuntur.

1. a sede in *externas*, quæ extra anum sunt conspicuæ.
2. —— in *internas*, quæ intra intestinum rectum latent.
3. —— in *fluentes*, quæ sanguinem plorant.
4. —— in *cæcas*, ex quibus sanguis non fluit.

Curatio hæmorrhoidum cæcarum fit per *resolutionem* vel per *evacuationem sanguinis*.

Resolutio tentatur

1. *Venæ sectionibus.*
2. *Enematibus.*
3. *Purgantibus eccoproticis* ut *electuario lenitivo.*

4. *Fomentis* ex herbis *resolventibus* in aqua alba coctis.

Evacuatio sanguinis ex vasis hæmorrhoidalibus fit

1. *Sua sponte* per insessum ad *vaporem* aquæ, vel
2. Applicatione *hirudinum*, vel
3. *Incisione* in venam dilatatam.

Fluxus hæmorrhoidalis si *criticus* & modicus est, naturæ committitur, si *nimius*, est, & debilitatem infert, sisti debet.

Fluxus externus sistitur ope fungi agarici vel aquæ Thedianæ.

——— *internus* ope injectionis aquæ frigidæ cum aqua Thediana mixtæ.

VII. CLASSIS.

TUMORES CYSTICI.

Sunt tumores, quorum contenta materies in peculiari *cystide*, seu sacco membranaceo inclusa est.

Contenta materies horum tumorum admodum varia est, unde varia tumorum nomina.

Dantur 8. horum tumorum *species*, ut

1. *Meliceris*, continet humorem melli similem.
2. *Atheroma*, — pultem albam
3. *Steatoma*, — sevum.
4. *Osteosteatoma*, — sevum ossificatum.
5. *Hygroma*, — aquam.
6. *Lipoma*, — pinguedinem.
7. *Lupia*, — substantiam spongiosam.
8. *Ganglium*, — albumini ovi similem humorem.

MELICERIS.

Eſt tumor ciſticus cujus contenta materies *melli* ſimilis eſt.

Signa ſunt tumor globoſus, indolens, cuti concolor, mollis, attactu glaber.

Curatio. Incipiens meliceris reſolventibus fortioribus ſubinde reſolvitur, ut ſpiritu ſaponato.

Meliceris jam *inveterata* ſola *operatione* curabilis eſt, quæ fit *enucleatione* vel *inciſione & eroſione ciſtidis.*

Enucleatio fiat 1. inciſione cutis, & dein ciſtis integra ſcalpello ſeparatur ex tela celluloſa vel

Fiat *inciſio* in cutem & in ciſtidem ſimul, liquido emiſſo imponitur ciſtidi cavæ *unguentum digeſtivum acre*, quod præcipitatum rubrum habet, vel conſumitur ciſtis *butyro antimonii* vel *oleo cauſtico camphoræ.*

Prior methodus tutior & melior eſt quam inciſio.

ATHEROMA.

Eſt tumor ciſticus, cujus contenta materies *pulti albæ* ſeu *farinaceæ* ſimilis eſt.

Curatio. Incipiens atheroma ut meliceris reſolvi poteſt. *Inveterata* ſola extirpatione curatur.

STEATOMA.

Eſt tumor ciſticus, cujus contenta materies *ſevo* vel *lardo* ſimilis eſt.

Difert majori duritie ab atheromate, ſola extirpatione curari poteſt.

OSTEOSTEATOMA.

Eſt tumor ciſticus cujus contenta materies partim *ſteatomatoſa* partim *oſſificata* eſt.

Oſteoſteatoma ſola *exciſione* curabilis eſt.

HYGROMA.

Eſt tumor ciſticus, cujus contenta materies *ſero* vel *lymphæ* ſimilis eſt. Subinde totus tumor *hydatidibus* plenus invenitur. Hinc.

Curatur operatione ut meliceris.

LYPOMA.

Eſt tumor mere *pinguedinoſus*.

Curatur exciſione totius tumoris. Primum circa baſim tumoris inciditur ſola cutis, dein elevatur totus tumor, & exſcinditur radicitus pinguedo.

LUPIA.

Eſt tumor, cujus contenta materies eſt tela celluloſa *fungoſa*.

Sedes frequentiſſima eſt in articulo genu vel cubiti.

Habet *ſigna* tumoris ciſtici ſed mollitiem ſpongioſam, quæ tactu diſcernitur.

Curatio. Reſolvi poteſt *emplaſtro* ad lupiam, vel gummi ammoniaco ut ſæpe obſervavi.

GANGLIUM.

Eſt tumor ciſticus, qui a vagina tendinis formatur, & liquidum *crudo albumini* ovi ſimile continet.

Frequentiſſima *ſedes* eſt in dorſo manus vel pedis.

Signa habet tumoris ciſtici.

Curatio eſt triplex.

1. Per *medicamenta*, quæ in meliceride laudavi nempe ſpiritu ſaponato.
2. Per *crepaturam* ciſtidis, quæ preſſione tumoris ope digitorum fit, & rupta ciſtide faſcia comprimatur locus tumoris.
3. Per *enucleationem* tumoris ut de meliceride diximus.

VIII. CLASSIS.

TUMORES EXCRESCENTIALES.

Tumores, qui ultra cutem excreſcunt, & ex *fibroſa* carni ſimili *ſubſtantia* conſtant.

In hanc *Claſſem* refertur.

1. *Sarcoma.*
2. *Nævus.*
3. *Cornu.*
4. *Fungus cerebrinus.*
5. *Polypus naſi.*
6. *Polypus uterinus.*

SARCOMA.

Eſt tumor ex *fibroſa* carni ſimili ſubſtantia conſtans.

Dividuntur ſarcomata in *penſilia*, quæ petiolum habent, & pyriformia ſunt.

in *ſeſſilia*, quæ lata baſi cuti adhærent.

Signa ſunt tumor ultra cutem excreſcens, indolens, rubens, vel cuti concolor, qui mollitiem carnis habet.

Curatio eſt triplex.

1. Per *ligaturam* radicis, quæ ſolummodo in penſilibus.
2. Per *abſciſſionem* vel *exſciſſionem*, quæ in ſeſſilibus fieri debet.
3. Per *Cauſtica liquida*, quæ in parvis ſarcomatibus adhibentur.

NÆVUS.

Eſt *ſarcoma nativum*, ſeu quod cum homine natum eſt.

Imaginatio matris pro cauſa excitante cenſetur.

Nævi *plani curantur* applicatione *paſtæ* ex calce viva & ſapone Veneto.

Nævi autem *altiores* etiam ligatura, abſciſſione, vel oleo camphoræ cauſtico curari debent.

CORNUA.

Sunt *excreſcentiæ* magnæ admodum ac *calloſæ* ut Verrucæ.

Curantur ſpiritu ſalis concentrato vel oleo camphoræ cauſtico.

FUNGUS CEREBRINUS.

Eſt excreſcentia fungoſa ex *dura matre* vel *cerebro*, per præternaturale foramen cranii ſub cutem capitis emergens.

Noſcitur tactu foraminis, mollitie & obſcura pulſatione tumoris.

Curatio exigit inciſionem cutis, trepanationem in toto ambitu foraminis & exciſionem excreſcentiæ.

POLYPUS NASI.

Eſt *excreſcentia petiolata* ex membrana pituitaria narium.

Noſcuntur polypi viſu tumoris albicantis, pyriformis, indolentis.

Dividuntur in *benignos*, qui non dolent.
in *malignos*, qui dolent & livent.

Curatio eſt 1. per *extorſionem* ope forcipis, quo extorqueri, ſed non evelli debent.
2. Per *exciſionem*, quæ raro poſſibilis eſt.
3. Per *cauſtica*, quæ in minoribus ope olei camphoræ cauſtici tentari poſſunt.
4. Per *ligaturam* polypi, quæ optima methodus eſt, ſi fieri poteſt, etiam hæc in polypo *cancroſo* adhiberi debet.

POLYPUS UTERINUS.

Eſt *polypus* ex uteri vel vaginæ cavo excreſcens.

Signa. Polypus uterinus noſcitur tactu & hæmorrhagia uterina. Polypus *vaginalis* eſt ſine hæmorrhagia.

Curatio optima fit per ligaturam polypi.

IX. CLASSIS.

TUMORES OSSEI.

Vide Doctrinam *de morbis oſſium.*

X. CLASSIS.

TUMORES ARTICULARES.

Vide *morbos oſſium.*

XI. CLASSIS.

TUMORES TERREI.

Sunt tumores, qui a depositione *succi terrei* oriuntur. In hanc classem pertinent.

1. *Tumor terreus.*
2. *Tophus podagricus.*
3. *Ranula lapidea.*

TUMOR TERREUS.

Est tumor, qui materiem *calcariam* vel *lapideam* in se continet.

Noscuntur duritie, albicante colore, & maxime inciso tumore.

Curatio fit 1. per *resolutionem* ope lixivii caustici aqua diluti.

2. per *incisionem* tumoris & exemptionem terræ calcariæ.

TOPHUS PODAGRICUS.

Tubercula in digitis manuum vel pedum, quæ in podagricis oriuntur, & terram calcaream intra se continent, vocantur *tophi podagrici.*

Curatio est ut in tumore terreo, subinde aqua frigida prodest.

RANULA LAPIDEA.

Est *tuberculum* sub lingua, quod terram continet.

Sedes est in *ductu salivali.*

Signum est durities lapidea tuberculi.

Curatio fit per *incisionem* tumoris & *exemptionem* lapidis.

XII. CLASSIS.

TUMORES AEREI.

Sunt tumores, qui ab *aere* in telam cellulosam effuso oriuntur.

In hanc classem pertinet.

1. *Emphysema.*
2. *Physocephalus.*
3. *Bronchocele.*
4. *Tympanites.*
5. *Pneumatosis.*

EMPHYSEMA.

Est intumescentia alicujus partis ab aere in tela cellulosa contento.

Causa proxima est

1. Aer *athmospæricus* per vulnus in telam cellulosam se insinuans.
2. Vel *aer* per putredinem e nostris humoribus *extricatus*, hinc sæpe gangrænam comitatur.

Signa Emphysematis sunt intumescentia cuti concolor vix dolens, elastica, at digitis pressa *crepitans*, ut ossa fracta.

Curatio requirit, ut aer ex tela cellulosa expellatur, hinc

1. *Vulnus angustum* dilatandum.
2. *Frictionibus* aer versus vulnus exprimendus est.
3. Vel *novum vulnus* infligendum in alio loco emphysematoso.

In *emphysemate putrido antiseptica*, ut camphora externe & interne applicari debet.

PHYSOCEPHALUS.

Eſt intumeſcentia *emphyſematoſa* totius capitis.

Anguſta *capitis vulnera* ſubinde comitatur.

Curatur, ut emphyſema a cauſa externa.

BRONCHOCELE.

Eſt intumeſentia aerea & crepitans in antica colli parte.

Cauſa proxima eſt rima inter annulos cartilagineos tracheæ.

Curatur, rima ſponte ſua, tumor fomento adſtringente abigitur, ſpiritus vini camphoratus cum alumine conducit.

TYMPANITES.

Eſt abdominis intumeſcentia ab aere in eo contento.

Signa ſunt tumor levis, non fluctuans ut in aſcite.

Curatur interdum medicamentis roborantibus.

Paracentheſis abdominis in nulla ſpecie utilis eſſe videtur.

PNEUMATOSIS.

Eſt *Emphyſema* totius corporis.

Naſcitur ab emphyſemate topico, a fractura coſtæ cum læſione pulmonis.

Curatur inflictio vulnere, & expreſſo aere.

XIII. CLASSIS.

TUMORES SALIVALES.

Sunt tumores a retentione ſalivæ in ductu ſalivali contentæ.

Unica datur hujus claſſis ſpecies, nempe.

RANULA SALIVALIS.

Eſt tumor ſub lingua, qui ſalivam in ductu ſalivali collectam continet.

Signa ſunt tumor mollis, fluctuans, concolor cum interna membrana oris, & indolens, ſi tumor inciditur effluit liquidum albumini ovi ſimile.

Curatio fit *inciſione* tumoris & exciſione partis ſuperioris.

XIV. CLASSIS.

TUMORES BILIOSI.

Sunt tumores, qui a retentione bilis in veſicula fellea oriuntur. Unica in hanc claſſem pertinet ſpecies nempe.

TUMOR VESICULÆ FELLEÆ.

Eſt intumeſcentia veſiculæ felleæ a bile intra eam congeſta.

Cauſa proxima eſt obſtructio ductus ciſtici a calculo bilioſo vel bile inſpiſſata.

Signa ſunt tumor profundus & fluctuans ſub hypochondrio dextro, dolor profundus, & abſentia ſignorum abſceſſus.

Curatio debet fieri per *reſolutionem*, vel *puncturam* tumoris.

Reſolutio tentatur per *decocta ſaponacea*, & *fomenta emollientia.*

Punctura veſiculæ felleæ ope acus triquetræ tentari non debet, niſi certo conſtet veſiculam eſſe peritoneo accretam, alias punctura lethalis fieret.

Veſiculam *accretam* eſſe peritoneo docet prægreſſa inflammatio veſiculæ & loci dolentis.

Punctura veſiculæ accretæ ſæpe *fiſtulam bilioſam* relinquit.

X V. CLASSIS.

TUMORES URINARII.

Tumores, qui ab urina in veſica urinaria retenta oriuntur, huc pertinent.

INTUMESCENTIA VESICÆ URINARIÆ.

Eſt intumeſcentia veſicæ urinariæ ab urina in ejus cavo retenta.

Cauſa proxima eſt obſtructio colli veſicæ vel urethræ.

Cauſæ hujus obſtructionis eſſe poſſunt calculus, caruncula, ſpaſmus, inflammatio urethræ, compreſſio urethræ a graviditate, paralyſis veſicæ.

Signa ſunt tumor profundus ſupra oſſa pubis cum urinæ retentione conjunctus.

Prognoſis. Morbus lethalis eſt, ſi urinæ effluxus non reſtituatur.

Curatio requirit

1. *Ablationem* cauſæ, quæ urethram obſtruit.
2. *Extractionem* urinæ ope catheteris.
3. *Puncturam* veſicæ ſi ope catheteris urina eximi non poſſit.

Remotio cauſarum obſtruentium fiç peragitur, ſi *ſpaſmus* colli veſicæ *enematibus* & *cataplaſmatibus* emollientibus, atque opio tollitur.

Inflammatio urethræ *venæ sectionibus*, emolliente fomento & enemate, atque *emulsione refrigerante* curatur.

Caruncula urethræ usu longo *cereolorum* sanatur.

Calculus urethræ impactus *excisione* tollitur.

Compressio urethræ in graviditate, *retropressionem* uteri retroversi requirit.

Paralysis vesicæ infuso arnicæ curatur & vesicatorio ad os sacrum.

XVI. CLASSIS.

TUMORES LACTEI.

Sunt tumores, qui a depositione *lactis* oriuntur. Huc pertinet.

1. *Intumescentia lactea mammarum.*
2. *Tumor lacteus extremitatum.*

INTUMESCENTIA LACTEA MAMMARUM.

Est mammarum intumescentia dolorosa a nimia lactis depositione.

Signa sunt intumescentia mammarum mollis non inflammata.

Curatio requirit *evacuationem* lactis, quæ fiat.

1. Suctione infantis proprii vel alius.
2. Expressione mammæ.
3. Extractione per antliam mammariam.

Interne datur jusculum tenue ex chærophylo & lene purgans. *Diæta* sit tenuis non nutriens.

TUMOR LACTEUS EXTREMITATUM.

Eſt tumor a depoſitione *lactis* in telam celluloſam alicujus extremitatis.

Cauſa proxima eſt lactis abundantia, in mammas vel non *depoſita*, vel e mammis ſubito *retropulſa*.

Signa tumoris lactei extremitatem inferiorem occupaturi ſunt. Primo die inguen dolet; altero die genu dolet, & inguen intumeſcit; tertio die genu intumeſcit, & crus, atque pes dolet; tandem & pes intumeſcit.

Si autem lac in *extremitatem ſuperiorem* deponitur, tunc primo cavum ſubaxillare, dein cubitus, ultimo manus vehementer dolet, ac ſemper tumor locum, quem dolor deſeruit, occupat.

Intumeſcentia eſt calida, ſplendens, flavo rubens, elaſtica, impreſſi digiti foveam non retinens.

Reſolutio requirit fomenta reſolventia ex ſapone veneto in lacte ſoluto. *Interne* datur purgans dein nitrum camphoratum.

XVII. CLASSIS.

TUMORES HERNIOSI SPURII.

Vide doctrinam *de herniis*.

XVIII. CLASSIS.

TUMORES ORGANICI.

Sic vocantur tumores, qui viſcus, vel aliam partem organicam ſuo loco naturali motam, intra ſe recondunt.

In hanc classem referri possunt omnes *herniæ veræ*, atque *parochidium*.

PAROCHIDIUM.

Est tumor in inguine a testiculo ibi sito natus.

Causa proxima est lentus descensus; ut in infantibus, vel reascensus, ut in adultis.

Signa sunt defectus testiculi in scroto.

Curatio exigit, ut via testiculo relaxetur, ut descendere possit. Hoc fit *cataplasmatibus emollientibus*, & leni frictione.

DOCTRINA PROLAPSUUM.

Prolapsus sunt *visibiles* dimotiones viscerum e suo cavo, in quo continentur. Huc pertinent *Prolapsus ani*.

——— *vaginæ*.

——— *uteri*.

PROLAPSUS ANI.

Est intestini recti *protuberantia* ex ani orificio.

Curatio exigit 1. *Repositionem*, quæ digitis peragitur.

2. *Retentionem* in naturali loco, quæ linteolis graduatis, & fascia T. fit.

3. *Roborationem intestini*, quæ fomentis ex herbis adstringentibus cum alumine peragitur.

PROLAPSUS VAGINÆ.

Eſt vaginæ *protuberantia* ex orificio vaginæ.

Noſcitur viſu protuberantiæ rugoſæ, rubeſcentis.

Curatur 1. *Repoſitione* membranæ.

2. *Retentione* in ſitu ope peſſarii.

3. *Injectione robarante* ex ſpeciebus roborantibus cum alumine.

PROLAPSUS UTERI.

Eſt uteri *deſcenſus* intra, vel extra vaginam.

Cauſa proxima eſt *laxitas* ligamentorum uterinorum.

Dividitur in prolapſum *imperfectum*, & *perfectum*.

Imperfectus *noſcitur* exploratione digiti, perfectus viſui patet.

Curatio exigit 1. *Repoſitionem*, quæ ope digitorum peragitur.

2. *Retentionem*, quæ peſſario fit.

3. *Fomenta*, & *injectiones roborantes*.

INVERSIO UTERI.

Eſt internæ uteri ſuperficiei inverſio, & prolapſus per orificium uterinum. Uteri inverſio puerperis ſubinde a violenta placentæ uterinæ protractione fit.

Curatur 1. *Reverſione*, & *repoſitione* uteri per ejus orificium, quod digitis peragitur.

2. Adhibito peſſario.

3. *Roborantibus* externis, & internis, & longo ſitu ſupino.

DOCTRINA DE HERNIIS.

DE HERNIIS IN GENERE.

HERNIÆ dividuntur in *veras*, & *ſpurias*.

Veræ herniæ ſunt tumores, qui a dimotione alicujus viſceris producuntur.

Herniæ ſpuriæ ſunt tumores in umbilico, vel ſcroto, qui a congeſtis humoribus naſcuntur.

Herniæ veræ a loco, quem occupant in 12 *Genera* dividuntur, nempe ſunt,

1. *Herniæ inguinales.*
2. ——— *ſcrotales.*
3. ——— *femorales.*
4. ——— *ovalares.*
5. ——— *iſchiadicæ.*
6. ——— *vaginales.*
7. ——— *umbilicales.*
8. ——— *abdominales.*
9. ——— *lumbares.*
10. ——— *perinæales.*
11. ——— *thoracicæ.*
12. ——— *cephalicæ.*

Quodlibet herniarum genus a *contento viſcere*, & a *ſua peculiari* conſtitutione in ſuas *ſpecies* diſtinguitur.

A viſcere *contento* vocantur herniæ *inteſtinales*, *omentales*, *ventriculi*, *hepatis*, *ſplenis*, *uteri*, *veſicæ*, *pulmonis*, *cerebri*.

A *Conſtitutione* habetur Hernia *ſimplex*.
incarcerata.
inveterata.

Cauſa proxima eſt dilatatio peritonei in ſaccum.

Cauſæ remotæ ſunt laxitas loci herniofi a prægreſſa contuſione, vulnere, clamore, tuſſi, partu, vomitu, ſaltu, peritonei ruptura.

Diagnoſis. Noſcitur hernia ſimplex tumore ſenſim increſcente, & reducibili.

Curatio herniæ ſimplicis exigit.

1. *Repoſitionem*.
2. *Retentionem* ope bracherii.
3. Loci herniofi *roborationem*.

Repoſitio peragitur 1. Situ ægroti ſupino, elevatis genubus.
2. *Introprefſione* partium elapſarum.

Retentio fit ope bracherii elaſtici.

Roboratio loci fit externo uſu ſpiritus vini.

HERNIA INVETERATA.

Hernia accreta, ſeu *inveterata*, quæ ſe reducere non ſinit, requirit bracherium cum *pila excavata*.

HERNIA INCARCERATA.

Eſt hernia, quæ ſubito irreducibilis fit, & mala ſymptomata facit. Nempe vomitum, colicam, & obſtructionem alvi.

Dividitur incarceratio,

in *chronicam*, quæ non eſt inflammata, & a fæcibus, flatu, vel ſpaſmis oritur.

— *inflammatoriam*, quæ inflammata eſt.

Incarceratio *inflammatoria* exigit *venæſectiones*, enemata *emollientia*, & fomentum ex *aqua vegetominerali*, vel *oxycrato*.

Incarceratio *chronica* exigit.

Fomentum ex *aqua frigida*.

Enemata ex *foliis tabaci*, vel ex *fumo tabaci*.

Potionem ex *ſale amaro*, ſi fæces induratæ.

Opium, & fomenta *emollientia*, ſi ſpaſmus muſculorum abdominalium incarcerationem facit.

In utroque caſu ſæpius tentetur *repoſitio*, & ſi hæc impoſſibilis, tunc fiat *herniotomia*.

DE HERNIIS IN SPECIE.

I. HERNIA INGUINALIS.

Est tumor in inguine, qui a prolapſu omenti, vel inteſtini per annulum inguinalem oritur.

Noſcitur reducibilitate, bubo enim reducibilis non eſt.

Species ſunt

1. *Hernia inteſtinalis*, quæ elaſticitate, & murmure ſub repoſitione noſcitur.

2. *Hernia omentalis* noſcitur duritie, difficili repoſitione, abſente murmure.

3. *Hernia inteſtino-omentalis.* Partim ſigna herniæ inteſtinalis, partim herniæ omentalis habet.

4. *Hernia veſicæ urinariæ* noſcitur difficili mictione, ſed faciliori, ſi reponatur hernia.

Hernia in utroque inguine requirit bracherium, quod *duplicem pilam* habet.

II. HERNIA SCROTALIS.

Eſt tumor ſcroti a prolapſu viſceris abdominalis per annulum inguinalem in ſcroti cavum.

Species, ſigna & *curatio* ut in herniis inguinalibus ſunt.

Inveterata hernia ſcrotalis *ſuſpenſorium* ſcroti exigit.

III. HERNIA FEMORALIS.

Eſt tumor ſub inguine in ſummo femore natus, a prolapſu viſceris abdominalis, quod ſub ligamento Pupartii exit.

Curatio ut in herni inguinali.

IV. HERNIA OVALARIS.

Eſt tumor in ſuprema & interna femoris regione a prolapſu viſceris abdominalis per ſuperiorem exciſuram foraminis ovalis in pelvi.

Noſcitur & *curatur* ut hernia femoralis.

V. HERNIA ISCHIADICA.

Eſt tumor juxta anum, qui a prolapſu omenti vel inteſtini per hiatum, quem exciſura iſchiadica & ligamenta ſacro-iſchiadica formant.

Noſcitur & *curatur* ut hernia alia.

VI. HERNIA VAGINALIS.

Eſt tumor in cavo vaginæ locatus, a prolapſu abdominalis viſceris in laxatam vaginæ partem productus.

Curatur peſſario.

Datur etiam *hernia labialis vulvæ*, quæ vero ſpecies herniæ inguinalis in fæminis eſt.

VII. HERNIA UMBILICALIS.

Eſt tumor umbilici, qui a prolapſu viſceris abdominalis per annulum umbilicalem oritur.

Indiget peculiari bracherio.

VIII. HERNIA ABDOMINALIS.

Tumor in quacunque abdominis regione ſitus, a prolapſu viſceris abdominalis natus.

Loca *aponevrotica* ut lineam albam, ſemilunarem, vel loca ſupra anulos inguinales, utplurimum occupat. Sed a prægreſſo vulnere ubique oriri poteſt.

Curatur per ſplenia & *cingulum abdominale.*

IX. HERNIA LUMBARIS.

Eſt tumor in regione lumbari, a prolapſu viſceris abdominalis in locum quemdam relaxatum, natus.

Curatur ut hernia abdominalis.

X. HERNIA PERINÆALIS.

Tumor in perinæo a prolapſu veſicæ urinariæ natus.

Curatur ut alia hernia, bracherium per longa lora ſupra humeros firmatur.

XI. HERNIA THORACICA.

Tumor intra costas emergens, a prolapsu pulmonis nascens.

Noscitur reducibilitate ut alia hernia, & curatur etiam apta ligatura.

XII. HERNIA CEPHALICA.

Tumor in quadam capitis parte, a cerebro per præternaturalem aperturam in cranio emergens natus.

Noscitur etiam reducibilitate, & curatur apta compressione.

DE HERNIIS SPURIIS GENERATIM.

HERNIÆ *spuriæ* sunt tumores in *scroto* vel in *umbilico*, qui autem non viscus abdominale ut *herniæ veræ*, sed præternaturalem humorem intra se recondunt.

Dividuntur a *loco* quem occupant.

in hernias spurias *scroti*, &
in —— —— *umbilici*.

Atque a *contenta materia* vocantur.

I. *Herniæ spuriæ scroti.*

1. *Hydrocele* seu hernia aquosa scroti.
2. *Hæmatocele* —— —— sanguinea scroti.
3. *Pneumatocele* —— —— aerea —
4. *Spermatocele* —— —— spermatica —
5. *Sarcocele* —— —— carnea —

6. *Empyocele* ſeu hernia purulenta ſcroti.
7. *Lyparocele* —— pinguedinoſa —
8. *Varicocele* —— varicoſa —
9. *Hydatocele* —— hydatitoſa —

II. *Herniæ ſpuriæ umbilici ſunt.*

1. *Hydromphalus* ſeu hernia aquoſa umbilici.
2. *Hæmatomphalus* — —— ſanguinea —
3 *Pneumatomphalus* — —— aerea —
4. *Empyomphalus* — —— purulenta —
5. *Sarcomphalus* — —— carnea —
6. *Varicomphalus* — —— varicoſa —
7. *Lipomphalus* — —— pinguedinoſa —

HYDROCELE.

Eſt intumeſcentia *aquoſa* ſcroti.

Diviſio a ſede aquæ effuſæ in 3. ſpecies.

1. *Hydrocele integumentorum ſcroti.* Ubi aqua in tela celluloſa ſcroti continetur, totum ſcrotum & membrum eſt œdematoſum, id eſt, retinet digiti impreſſi veſtigium.
2. *Hydrocele ſcrotalis.* Aqua in cavitate ſcroti format rotundam intumeſcentiam inflatæ veſicæ adinſtar, raro membrum virile ſimul affectum eſt.
3. *Hydrocele vaginalis.* Aqua effuſa in vagina funiculi ſpermatici, vel in vagina teſticuli hæret. In primo loco *tumor farciminalis* verſus annulum inguinalem, in ſecundo loco tumor *ovalis* in fundo ſcroti formatur.

Curatio requirit *reſolutionem* per fomenta ſicca, vel per aquam calcis cum ſpiritu vini camphorato,

ſi tumor per medicamenta reſolvi non poſſit, tunc aqua effuſa evacuari debet.

Evacuatio aquæ effuſæ quadruplici methodo inſtitui poteſt.

1. Per *paracentheſim ſcroti*, ſed hæc raro morbum radicaliter curat.
2. Per *lapidem cauſticum*, Sic ſæpius integre curatur morbus, lapidis cauſtici exigua mollecula vix lentis magnitudinem excedens applicetur fundo ſcroti.
3. Per *diſſectionem totius cavi ſcrotalis*, hæc etiam ſæpe radicaliter curat, at periculoſa ſymptomata operationem ſequuntur.
4. Per *Setaceum ſcroti*, hæc curatio etiam plerumque eſt radicalis.

HÆMATOCELE.

Eſt intumeſcentia ſcroti a ſanguine in ejus cavum effuſo.

Cauſa proxima eſt effuſio cruoris in ſcrotum a prægreſſa contuſione vel punctura ſcroti.

Curatio requirit *reſolutionem* per fomenta reſolventia, vel *evacuationem* effuſi ſanguinis per inciſionem.

PNEUMATOCELE.

Eſt ſcroti intumeſcentia *aerea* ſeu emphyſematoſa.

Sedes aeris eſt ſolummodo in tela celluloſa ſcroti.

Signa ſunt intumeſcentia ſcroti crepitans.

Cauſa eſt emphyſema univerſale, vel vulnus ſcroti.

Curatio

Curatio exigit aeris *emissionem*, vel per fomenta humida & frictionem, vel per *incisionem* scroti.

SPERMATOCELE.

Est testiculi intumescentia a *semine* in eodem accumulato.

Signa sunt tumor testiculi, dolor usque in lumbos propagatus, sine inflammatione præsente testiculi.

Curatio requirit potum refrigerantem, & venæ sectionem.

SARCOCELE.

Est testiculi *induratio* seu scirrhus.

Divisio sarcoceles.

in *benignam*, quæ non dolet.

in *malignam*, quæ livet, & sua sponte dolet.

Signa sunt intumescentia testiculi, qui durus tangitur.

Curatio. Sarcocele benigna *resolvi* debet ut alius scirrhus. *Sarcocele maligna* exscindatur per *castrationem*, si autem jam funiculus spermaticus in abdomen usque induratus est, nec operatio prodest.

EMPYOCELE.

Est *puris* collectio intra scrotum, vel substantiam testiculi.

Causa proxima est prægressa inflammatio, vel depositio puris in scrotum.

Curatio exigit *evacuationem* puris, quæ per *incisionem* peragitur.

LIPAROCELE.

Eſt *adipoſa* ſcroti, vel tunicæ vaginalis intumeſcentia.

Signa; exitus & *curatio* liparoceles ſunt ut lipomatis.

VARICOCELE.

Eſt venarum intumeſcentia in ſcroto vel funiculo ſpermatico.

Diviſio 1. in *varicocelem ſcrotalem*, quæ noſcitur viſu venarum lividarum & tumidarum in externa facie ſcroti.

2. in *varicocelem funiculi ſpermatici*, hæc noſcitur tactu quaſi vermium duriuſculorum in funiculo ſpermatico locatorum.

Cauſa proxima eſt vel laxitas venarum vel compreſſio.

Curatio exigit fomenta roborantia.

HYDATOCELE.

Veſiculæ aquæ plenæ vocantur *Hydatides.*

Sedes hydatidum eſt in ſcroto, vel in funiculo ſpermatico.

Noſcuntur tactu globulorum piſiformium.

Curatio exigit *reſolutionem* ope ſpiritus ſaponati, vel *evacuationem aquæ* ope inciſionis.

SPECIES HERNIARUM SPURIARUM UMBILICI.

HYDROMPHALUS.

Eſt intumeſcentia aquoſa umbilici.

Signa ſunt tumor œdematoſus, qui in gravidis & in aſcite aliquando obſervatur.

Curatur remediis roborantibus, & leni compreſſione umbilici. In aſciticis hic tumor ſubinde ſua ſponte rumpitur.

HÆMATOMPHALUS.

Eſt umbilicus ab ecchymoſi prominens.

Signa ſunt livor in regione umbilici.

Curatur hæmatomphalus ut ecchymoſis in alio loco per fomenta reſolventia.

PNEUMATOMPHALUS.

Eſt intumeſcentia *aerea* umbilici.

Cauſa eſt emphyſema totius corporis.

Curatio exigit aeris emiſſionem ope frictionis, vel vulneris inflicti.

EMPYOMPHALUS.

Eſt abſceſſus in umbilico.

Curatio exigit evacuationem puris, quæ *inciſione* peragitur.

SARCOMPHALUS.

Eſt caro fungoſa, quæ ex umbilico pronaſcitur.

Cauſa. Oritur ab ulcere umbilici.

Curatio abſciſſione, ligatura, vel cauſtico peragitur.

VARICOMPHALUS.

Eſt varicoſa vaſorum circa umbilicum intumeſcentia.

Curatio exigit fomenta adſtringentia.

LIPOMPHALUS.

Eſt pinguedinis intra umbilicum intumeſcentia.
Signa ſunt eadem ac lipomatis.
Curatio hinc etiam cum eo convenit.

DOCTRINA DEFORMITATUM.

Deformitates ſunt receſſus a naturali formatione alicujus partis.

Dividuntur deformitates in 8. *Claſſes.*

1. in *clauſuras*, ut *concretio ani*, *vaginæ*, *oris*, *præputii*, *urethræ*. Hæ concretiones cultro diſcindi debent.
2. in *accretiones* ut *concreti digiti*, *articuli*, *accreta lingua*. Digiti cultro diſcindantur, ſic etiam frenulum linguæ parum diſcinditur, ſed articulorum concretiones ſunt incurabiles.
3. in *ſolutiones præternaturales*; ut *labium leporinum*, quod ſicca fiſſura labii ſuperioris, & quandoque ſimul palati oſſei eſt.

   Curatio exigit ut labia ſicca fiſſuræ peculiari forfice abſcindantur, & ut vulnus dein peculiari faſcia uniente uniatur. *Sutura cruenta* raro prodeſt.
4. in *partes ſupernumerarias* ut 6. *digiti* manus vel pedis. *Digitus ſupernumerarius* ex articulatione exſcindi debet.

5. in *partes deficientes* ut *digiti*, *testiculi*, *penis*, *nasi defectus*. Hi defectus incurabiles sunt, sed loco membri amputati, membrum artificiale applicatur.

6. in *præternaturales magnitudines*, ut pars quædam nimis *parva* vel *magna*, nimis *longa* vel *brevis*. Hoc vitium utplurimum incurabile est. Huc etiam refertur *claudicatio* ob pedem breviorem & *aridura membri*, quæ subinde irritantibus & simul emollientibus medicamentis curatur.

7. in *præternaturales curvaturas* ut *collum obstipum*, *gibbositas spinæ dorsi*, *contracturæ membrorum*, *crura vulga*, *rhachitis*.

Collum obstipum abscissione musculi sternomastoidei statim supra sternum facta curatur.

Gibbositas spinosæ dorsi quæ solum in infantibus curabilis est, machinam Domini LE VACHER exigit.

Contractura membrorum unguenta emollientia & fomenta ex sedo vermiculari in cerevisia cocto exigit.

Crura valga ocreis artificialibus curantur.

8. in *errores loci* ut *oculus* in medietate frontis, *vulva* sub umbilico, *cor* extra thoracem situm. Hæc vitia sunt incurabilia. Sed *dens* in palato excrescens evulsione curatur.

DOCTRINA DE MORBIS OSSIUM.

DE MORBIS OSSIUM IN GENERE.

MORBI qui ossa infestant, dividuntur in *articulares* & *substantiales*.

Morbi articulares, qui solam articulationem afficiunt, sunt.

1. *Luxatio.*
2. *Diastasis.*
3. *Distorsio.*
4. *Laxitas articuli.*
5. *Rigiditas* seu *anchylosis.*
6. *Tumores articulares.*
7. *Strepitus.*
8. *Dolor.*
9. *Vulnera.*
10. *Ulcera.*

Morbi substantiales seu qui ipsam ossis substantiam infestant, sunt

1. *Fractura.*
2. *Fissura.*
3. *Tumores ossei.*
4. *Caries.*
5. *Spina ventosa.*
6. *Dolor osteocopus.*
7. *Fragilitas.*
8. *Mollities.*
9. *Doformitas.*
10. *Vulnera.*

DE LUXATIONIBUS IN GENERE.

Luxatio eſt receſſus articuli mobilis e ſua naturali cavitate.

Dividitur luxatio in *perfectam*, ubi *medium* caput e cavo exit, & *imperfectam*, quando *totum* caput excidit.

in *ſimplicem*, *duplicatam* & *complicatam*.

in *violentam* & *ſpontaneam*.

in *recentem* & *inveteratem*.

Noſcitur luxatio 1. *tactu* præternaturalis tumoris & cavitatis in regione articuli.

2. *Viſu* deformitatis articuli.

3. *Impotentia* motus naturalis.

Curatio exigit 1. *Repoſitionem*.
2. *Retentionem* in ſitu naturali.
3. *Ablationem ſymptomatum*.
4. *Roborationem* articuli relaxati.

Repoſitio exigit extenſionem, contra - extenſionem, & introductionem oſſis luxati.

Flexus aliquantum membri luxati ſitus pro repoſitione neceſſarius eſt.

Retentio in ſitu peragitur faſciis, & quiete.

Symptomata, ut dolor & inflammatio auferuntur venæ ſectione, fomentis reſolventibus.

Laxitas articuli curatur medicamentis ſpirituoſis, fomento ex fœcibus vini.

Luxationes cum vulnere articulationis *complicatæ* admodum periculosæ sunt, & tetanum faciunt. V. *vulnera nervorum*, & luxationes a *causa interna*, ut tumores articulares curantur.

DE LUXATIONIBUS IN SPECIE.

Luxatio maxillæ.

Hæc solummodo *antrorsum* uno vel utroque condylo luxari potest.

Hinc dividitur in *simplicem*, & *duplicatam*. *Simplex* noscitur oris obliquitate. *Duplex* noscitur ex ore hiante, quod claudi non potest.

Prognosis. Luxatio lethalis est, si non reponatur.

Repositio exigit, ut primo deorsum, dein recta retrorsum maxilla inferior præmatur.

Ligatur funda maxillari.

Luxatio Nuchæ.

Est recessus capitis cum prima vertebra colli a processibus articularibus vertebræ secundæ colli.

Hæc *dextra*, vel *sinistra*, & fracto processu odontoideo *antica*, vel *postica* esse potest.

Perfecta luxatio nuchæ est absolute lethalis, *imperfecta* paralysim extremitatum superiorum facit.

Luxatio vertebrarum.

Est secessus apophysium obliquarum unius vertebræ a sua socia. Secessus *dextrorsum*, vel *sinistrorsum* contingere potest.

Noscitur exploratione, visu, paralysi extremitatum inferiorum. *Perfecta* luxatio vertebræ lethalis est, *imperfectæ* repositio tentari debet.

Repositio. Æger locatur supra magnum dolium, & sic extensio, & contra extensio fiat.

Luxatio Costæ.

Capitulum posterius costæ a fovea articulari vertebrarum solummodo *introrsum* luxari potest.

Noscitur mobilitate costæ luxatæ.

Luxatio claviculæ.

Anterior claviculæ extremitas, & ejus extremitas posterior luxari potest.

Antica luxatio *extrorsum*, vel *introrsum.*

Postica luxatio, *sursum*, vel *deorsum* contingit.

Luxatio humeri.

Humerus triplici modo luxari potest; *deorsum*, *postrorsum*, & *antrorsum.*

Luxatio cubiti.

Cubitus a trochlea humeri *introrsum*, vel *retrorsum* luxari potest.

Luxatio radii.

Radius a processu capitato humeri tripliciter luxari potest. *Antrorsum*, *postrorsum*, *extrorsum.*

Luxatio manus.

Hæc *quadruplex* esse potest. *Interna*, *externa*, & *lateralis.*

Luxatio carpi.

Unum ex ossibus carpi *extrorsum*, vel *introrsum* luxari potest.

Luxatio digitorum.

Phalanges digitorum *extrorsum*, *introrsum*, vel ad *latera* luxari possunt.

Luxatio femoris.

Hæc quadruplex esse potest nempe 1. *Introrsum*, & *sursum*. 2. *Introrsum*, & *deorsum*. 3. *Extrorsum*, & *deorsum*. 4. *Extrorsum*, & *sursum*.

Luxatio patellæ.

Potest *extrorsum*, vel *introrsum*, sed rupto ligamento patellæ inferiori etiam *sursum* luxari.

Luxatio tibiæ.

Solummodo imperfecte luxari potest, *retrorsum*, vel ad *latera*.

Luxatio pedis.

Pes *antrorsum*, & *retrorsum*, sed fracto malleolo etiam *introrsum*, vel *extrorsum* luxatur.

Ossa *tarsi*, & *metatarsi sursum*, & *deorsum* luxantur. Et

Digiti pedis, ut digiti manus luxari possunt.

DIASTASIS.

Est secessus ossis immobilis a suo socio. Nam secessus ossis mobilis vocatur luxatio. Huc referri debet.

Diastasis, seu secessus suturæ in *cranio*.

——— — ——— ossium *pubis*.

——— — ——— ossis *coccygis*.

——— — ——— *fibulæ* &

——— — ——— alicujus *epiphysis* ab osse.

Causa, & *curatio* eadem, ac in luxatione est.

DISTORSIO.

Est violenta alicujus articuli extensio sine remanente luxatione.

Curatur, ut contusio venæ sectione, fomentis resolventibus, & simul roborantibus, ut oxycrato spirituoso, vel aqua frigida.

LAXITAS ARTICULI.

Si a luxatione, vel distorsione remaneat articuli laxitas, roborantia spirituosa, & fomenta adstringentia adhibeantur, vel aqua frigida.

ANCHYLOSIS.

Est tumor *articularis durus*, qui immobilitatem articuli facit.

Tumore duro *differt* ab hydrope articuli, in quo tumor fluctuans percipitur.

Divisio anchylosis est

in *perfectam*, in qua ossa succo osseo concreta sunt.

in *imperfectam*, in qua ossa non concreta sunt.

Diagnosis. Anchylosis perfecta noscitur perfecta immobilitate articuli.

——— *imperfecta* noscitur mobilitate quadam adhuc superstite.

Causa proxima est synoviæ inspissatio, vel rigiditas ligamentorum, vel extremitatum ossearum concretio.

Curatio est varia, prout causa varia.

Anchylosis a ligamentis *rigidis* curatur *unguento* emolliente, & *vapore* aqueo.

——— a synovia *inspissata* curatur unguento *saponato*, gummi ammoniaco aceto soluto, *embrocatione*, *vapore aqueo*, *thermis sulphureis*.

——— a *concretione* articuli est incurabilis.

TUMORES ARTICULARES.

Huc pertinet

1. *Hydrops articuli* vide *tumores aquosos.*
2. *Tumores rheumatici*, qui fomentis siccis, vel vesicatorio, vel unguento mercuriali.
3. *Tumores podagrici*, qui aqua frigida.
4. *Tumores albi*, seu *pituitosi*, qui vesicatorio curantur.
5. *Tumores rhachitici*, vide *Hyperostosim.*
6. *Osteosteatoma articuli*, quod ingens fit, & cariosum est. Amputationem exigit.
7. *Cartilagines mobiles* in articulis tactu noscuntur, & exscindi debent.

STREPITUS ARTICULI.

Utplurimum in scorbuticis ob tenuitatem synoviæ, vel secessum epiphysium observatur.

Curatur antiscorbuticis.

DOLOR ARTICULI.

Qui sine tumore est a rheumatismo, vel arthritide oritur, & curatur, ut *Rheumatismus.*

ULCERA ARTICULORUM.

Dividuntur in *penetrantia*, & non *penetrantia.*

Simplicia curantur, ut in alio loco. *Cariosa* si totum articulum occupant, exigunt amputationem, raro enim *excisio* cariei possibilis est.

VULNERA ARTICULATIONUM.

Vide Doctrinam de *vulneribus.*

DOCTRINA
DE FRACTURIS.

Fractura est ossis solutio in duo, vel plura fragmenta.

Dividuntur fracturæ 1. ab *indole* in *simplicem.*
duplicatam.
complicatam.
2. a *Figura* in *transversam.*
obliquam.
oblongam.
comminutam.

Causa proxima est, vel violentia externa, vel fragilitas ossis interna.

Diagnosis sumitur 1. a *tactu* inæqualitatis, vel mobilitatis in ossis medietate. 2. Ab *auditu* strepitus sub motione ossis.

Curatio exigit 1. *Repositionem.*
2. *Retentionem* in situ
3. *Sanationem.*
4. *Ablationem symptomatum.*

Repositio solummodo in fracturis semotis necessaria est. Et exigit *extensionem*, *contra-extensionem*, & *compositionem.*

Retentio in situ fit ope fasciæ, & ferularum.

Situs parum flexus membri fracti, ut plurimum necessarius est.

Sanatio a natura peragitur ope transsudantis glutinis, qui sensim in *callum* induratur.

Tempus ſanationis ab ætate, conſtitutione corporis, magnitudine oſſis, & fracturæ ſpecie deſumitur, intra 6. vel 8. ſeptimanas fracturæ ſimplices ſanantur.

Ablatio ſymptomatum, ut inflammationis, venæ ſectione, & fomentis peragitur reſolventibus.

Complicatæ fracturæ nempe ubi vulnus, vel luxatio, vel gangræna adeſt, ſimul poſtulant ſpecifica his morbis remedia.

Fracturæ admodum *comminutæ* ſæpe gangrænam faciunt.

FISSURA OSSIUM.

Eſt oſſis non plenaria, ſed imperfecta diviſio.

Difficulter *noſcitur* ab initio, ſed tandem dolore diu non ceſſante, pertinaci inflammatione, & abſceſſu carioſo ſubſequente noſcitur.

Curatur ab initio, ut contuſio, ſi malum non cedat, inciſio, & nudatio loci carioſi facienda eſt.

TUMORES OSSEI.

Tumores, qui ab ipſa oſſis ſubſtantia formantur, ſunt

1. *Exoſtoſis.*
2. *Tophus.*
3. *Gummi.*
4. *Hyperoſtoſis.*
5. *Sarcoſtoſis.*

EXOSTOSIS.

Eſt oſſis *excreſcentia* in tumorem.

Signa ſunt tumor profundus, oſſi continuus, qui duritiem oſſeam, & inæqualem ſuperficiem habet.

Diviſio eſt in *benignam*, quæ a cauſa externa, & ſine dolore oſteocopo eſt.

in *malignam*, quæ dolet, livet, & a cauſa interna eſt.

Prognoſis. Exoſtoſis *benigna* ſæpe per vitam ſic manet. *Maligna* ſæpe in cariem abit.

Curatio requirit *exſtirpationem* tumoris ex oſſe, quæ cuneo, & malleo fieri debet.

TOPHUS.

Eſt *intumeſcentia* oſſis ab elevatione exteriorum laminarum oſſearum.

Sedes eſt utplurimum, in fronte, ſterno, claviculis, cubito, tibia.

Signa ſunt tumor profundus, oſſi continuus, oſſe vix mollior, qui planam ſuperficiem, qua ab exoſtoſi differt, habet.

Cauſa excitans eſt fere ſemper *miaſma venereum.*

Prognoſis. Si tophus non reſolvitur, in cariem abit.

Reſolutio tentatur per internum, & externum uſum *mercurii*, & per infuſum *Mezeræi.*

In *topho carioſo* inciſio, & perforatio oſſis fieri debet.

GUMMI.

Eſt tumor oſſis, qui ab elevatione perioſtei formatur.

Signa habet tophi, ſed *mollior* eſt.

Curatio eadem, ac in topho eſt.

HYPEROSTOSIS.

Eſt intumeſcentia *totius oſſis*, vel *totius extremitatis* in oſſe.

Cauſa eſt lues *venerea*, vel rachitis, vel fiſſura oſſis.

Hyperoſtoſis *rachitica* ſua ſponte evaneſcit, ſed quæ a lue, aut fiſſura eſt, in cariem abit, & tunc amputationem exigit.

SARCOSTOSIS.

Eſt tumor, qui a transmutatione ſubſtantiæ oſſeæ in *carneam* oritur.

Signa ſunt tumor profundus, oſſi continuus, ſed ſpongioſus, ab initio indolens, dein vehementer dolens.

Tumor *adultus* in cariem cancroſam, ac in mortem abit.

Curatio exigit amputationem.

CARIES.

Eſt oſſis eroſio, quæ ejus ſubſtantiam conſumit.

Dividitur caries

1. in *perfectam*, ubi os revera eroſum eſt, & in *imperfectam*, ubi ſolummodo oſſis color vitiatus eſt, ut pallidus, flavus, fuſcus.

2. in

2. in *visibilem*, quæ nuda, & in *invisibilem*, quæ carne fungosa tecta est.

Noscitur caries *Visu* ossis flavi, bruni, nigri, vel erosi.

Stylo, quo os nudum, vel scabrum deprehenditur.

Effluxu saniei nigrescentis, rancidi odoris.

Causa est, vel *externa*, ut contusio, vulnus, nudatio ossis, ulcus periostei, vel *interna*, ut acrimonia ad periosteum deposita, venerea, scorbutica, scrophulosa, variolosa &c.

Caries a causa *externa* facilius, a causa *interna* difficulter sanatur.

In carie *imperfecta* ubi solummodo naturalis ossis color vitiatus est, conveniunt spirituosa balsamica, ut *spiritus mastichinus*, vel *essentia myrrhæ*, aut *euphorbii*.

In carie *perfecta*, ubi os nigrum, & erosum est, conveniunt.

1. *Caustica liquida*, ut butyrum antimonii, aqua fortis.
2. *Cauteria*.
3. *Punctura* cum trepano perforativo.
4. *Excisio* ope cunei, vel serræ, vel trepani.
5. *Scalptura* ope trepani exfoliativi.

In *carie articulationis* non semper amputatio subinde *excisio* cariei sufficit.

Caries cranium perforans multis trepanationibus exscindi debet.

Caries carne fungoſa *tecta* requirit ut caro fungoſa cauſtico auferatur, ut ſic caries nuda tractari poſſit.

SPINA VENTOSA.

Eſt tumor, qui a carie interna oſſis oritur.

Dividitur ſpina ventoſa in *occultam* & *apertam*.

Spina ventoſa *incipiens* noſcitur dolore oſteocopo, & macula rubra cutis, quæ poſt aliquod tempus in intumeſcentiam rubicundam, & ſpongioſam ſe elevat.

Tandem hicce tumor multis foraminibus apperitur at non collabitur.

Sedes hujus mali frequentiſſime in oſſibus parvis, ut carpo, digitis vel tarſo obſervatur.

Cauſa proxima eſt caries interna oſſis, quæ a depoſitione peculiaris alicujus acrimonæ oritur. Raro *adultorum* fere ſemper *infantum* eſt morbus.

Curatio. Spina ventoſa unguento mercuriali ſubinde reſolvitur; ſi ſimul interne aquila alba, aſa fœtida, cicuta cum cortice peruviano datur.

FRAGILITAS.

Eſt oſſium diſpoſitio qua facile franguntur.

Cauſa eſt ſenium, ſcorbutus, lues venerea.

Curatio ergo exigit in ſenio bonum nutrientem victum & antiſcorbutica vel antivenerea in lue aut ſcorbuto.

MOLLITIES.

Eſt oſſium diſpoſitio, qua ſine fractura facile flecti poſſunt.

Causa est utplurimum acrimonia acida, vel rachitis.

Curatio exigit *antacida* & *antirachitica*, atque radicem rubiæ tinctoriæ.

DEFORMITAS.

Vide *deformitates.*

VULNERA OSSIUM.

Vide *Doctrinam vulnerum.*

DOCTRINA DE OPERATIONIBUS.

DE OPERATIONIBUS GENERATIM.

Operatio est artificialis manipulatio cum vel sine instrumentis, qua morbus aliquis curatur.

Operationes *dividuntur* in *manuales*, quæ sola manu, & *instrumentales*, quæ instrumentis peraguntur.

In omni operatione considerari debet.

1. *Indicatio.*
2. *Contraindicatio.*
3. *Locus.*
4. *Instrumenta.*
5. *Deligaturæ apparatus.*
6. *Situs ægroti.*
7. *Operatio ipsa.*
8. *Deligatio & reliqua curatio.*
9. *Infortunia*, quæ in operatione contingere possunt.

VENÆ SECTIO.

Indicatio eſt abundantia ſanguinis.
Febris inflammatoria.
Inflammatio valida.

Contraindicatio. Deffectus ſanguinis.

Locus. Omnis vena ſecari poteſt. *Conſuetiſſimæ* autem ſunt

In *capite* Vena frontalis.
— angularis.
— ranina.
— jugularis externa.

In *brachio* Vena mediana.
— cephalica.
— baſilica.

In *manu* Vena ſalvatella.
— cephalica.

In *membro virili* Vena dorſalis.

In *pede* Vena cephalica.
— ſaphena.
— dorſalis.
— malleolaris.

Inſtrumenta ſunt, lanceola vel phlebotomus.

Vinctura. Spleniolum & faſcia requiruntur.

Situs ægroti in ſella verſus lucem.

Operatio 1. Vena ligamine ſupra locum puncturæ ligetur.

2. Ope *Lanceolæ* fit punctura in venam, quæ ſub extractione lanceolæ aliquantum dilatari debet, vel

Ope *phlebotomi* ſit punctura in venam.

Deligatio. Requiſita quantitate ſanguinis emiſſa, vulnus ſpleniolo ſicco, & faſcia circulari unitur, & ſanatur.

Infortunia, quæ male adminiſtratam venæ ſectionem ſequuntur, ſunt

1. *Trombus* ſeu ſugillatio ſanguinis, qui ex vena inciſa in telam celluloſam exit, curatur oxycrato vel fomento reſolvente.

2. *Aneuryſma verum*, ſi extima arteriæ membrana læditur, graduata compreſſione curatur.

3. *Aneuryſma ſpurium*, ſi ex arteria inciſa ſanguis ſub cute in telam celluloſam effluit, etiam graduatam compreſſionem requirit.

4. *Hæmorrhagia ingens*, ſi arteria brachialis lædatur & ſanguis libere exire poſſit. Tunc ſanguis admodum alte & cum ſtrepitu proſilit, coloris eſt coccinei, & ſi ligamen ſupra puncturam fortiter conſtringitur, fluxus ſanguinis ceſſat.

Curatio. Sex ſpleniola graduatim poſita, quorum primum monetam cupream contineat, ad vulnus ponantur 6. alia ſplenia ad partem oppoſitam brachii & 6. alia ad partem oppoſitam antibrachii locentur, atque per longam faſciam hæc ſplenia omnia per 15. dies ſine renovatione appreſſa ſerventur.

5. *Varix pulſans.* Si vulnus arteriæ vulneri venæ reſpondet, & non conſolidatur, tunc vena varicoſa fit & pulſat; compreſſione curatur.

6. *Inflammatio* valida & *dolor* ingens si nervus pungitur. Aqua alba vel cataplasmate emolliente resolvitur.

7. *Lymphæ fluxus*, qui altero die observatur, si vas lymphaticum læsum fuit, aqua thediana vel extracto saturni curatur.

8. *Suppuratio* ab inflammatione prægressa oritur, & curatur aqua vulneraria simplici, vel balsamo vulnerario.

OPERATIO ANEURISMATIS SPURII.

Indicatio. Aneurisma spurium adeo magnum ut compressione curari non possit, operationem exigit.

Præparatio instrumentorum 1. Tornaculum.
2. Scalpellum acutum.
3. Sulcus acuto apice.
4. Acus cum filo cerato.

Præparatio deligationis 1. Plura plumaceola.
2. Spleniola.
3. Fascia sex ulnarum.
4. 6. Frusta, fungi agarici.

Situs ægroti in lecto vel sella, extenso supra tabulam brachio.

Operatio ipsa. 1. Tornaculo truncus arteriæ brachialis comprimendus est.

2. Integumenta communia tumoris incidenda sunt, & sanguis effusus spongia eximendus est.

3. Si sanguis simul sub aponevrosi musculi bicipitis effusus esset etiam hæc aponevrosis cultro incidenda

est, & sanguis grummosus etiam hic loci auferendus.

4. Demum vulneri arteriæ læsæ detecto frustilla fungi agarici lamellatim applicanda.

5. Reliquum vulneris spatium plumaceolis & linteo carpto sicco expleri debet. Desuper spleniola ope fasciæ deliganda sunt.

6. Tornaculum post operationem sensim relaxatur, sed non aufertur.

Deligationes reliquæ. Tertio die quando suppuratio vulneris incipit, balsamo Arcæi ambitus vulneris deligatur, fungo agarico non exempto.

Si fungo hæmorrhagia sisti non posset, tunc arteria læsa immisso stylo elevari & acu ligari deberet.

OPERATIO ANEURYSMATIS VERI.

Indicatio. Aneurysma verum rupturæ proximum, vel adeo magnum, ut se amplius comprimi non permittat.

Operatio. 1. Tornaculo ad truncum arteriæ brachialis apposito, integumenta communia tumoris discindantur.

2. Dein aponevrosis musculi bicipitis adeo cultro dividenda est, ut saccus aneurysmatis penitus nudus appareat.

3. Dein saccus aneurysmaticus aperiendus, sanguis grummosus evacuandus, partes laterales sacci abscindendæ.

4. Arteria immisso stylo aliquantum elevatur, & supra saccum aneurysmaticum acu cum filo liganda est, interposito spleniolo, cavendum ne simul nervus medianus colligetur.

5. Dein arteria etiam infra saccum aneurysmaticum ligari debet, ut aneurisma inter has duas ligaturas sit intercepta.

6. Tandem vulnus linteo carpto implendum, spleniolis & fascia muniendum, reliqua ut in aneurysmate spurio sunt peragenda.

Symptomata operationem subsequentia, nempe antibrachii frigus, intumescentia & levis paralysis sua sponte evanescunt 4ta vel 7ma die, dilatatis vasis lateralibus arteriæ brachialis.

OPERATIO SETACEI.

Indicatio. Intentio ulcus artificiale faciendi.

Locus in nucha consuetissimus est.

Præparatio instrumentorum. Acus lata cum ligamine longo, unguento basiliconis illito.

Operatio 1. Minister & chirurgus cutem in nucha in plicam longitudinalem elevant.

2. Dein chirurgus per plicæ medietatem acum perfigit & ligamen in vulnus introductum in vulnere relinquit.

3. Desuper spleniolum ponitur, quod fascia circulari munitur. Ligamen vulnus irritat, ut plus suppuret, & a concretione impediatur.

OPERATIO FONTICULI.

Indicatur ubi ulcus artificiale requiritur.

Locus consuetissimus est in externo brachii latere ubi musculus biceps & brachialis externus spatium pinguedinosum relinquunt.

2. Ad 4. Digitos supra genu in interna superficie femoris.

3. Ad 4. digitos infra genu in interna superficie cruris.

Operatio ipsa. 1. A ministro & chirurgo cutis elevatur in plicam transversalem.

2. Hæc plica lanceola discinditur.

3. In vulnus pisum unguento basiliconis illitum imponitur, desuper emplastrum, spleniolum & fascia applicatur.

4. Omni die novum pisum imponitur, ne concrescat ulcus, & loco fasciæ peculiari loro firmatur fonticulus.

Methodus, quæ ope *caustici* fonticulum inurit, ob vulnus non adeo profundum, pisum difficulter retinet, hinc hæc methodus abolenda est.

SUTURA VULNERUM CRUENTA.

Indicatio. Vulnera, quæ adeo profunda, & transversim inflicta sunt, ut nec emplastris, nec fascia uniente possint uniri, *suturam* exigunt *cruentam.*

Contraindicatio. Vulnera multum contusa, vel alia læsione complicata per suppurationem sanari debent.

Inſtrumenta. Tres acus curvæ, quæ filum quadruplex ceratum habent.

Operatio. 1. Acus ad pollicem a margine vulneris per labium uſque in fundum vulneris immittitur.

2. Dein eadem acus a fundo vulneris iterum extrorſum per alterum labium vulneris in dicta diſtantia extrahitur.

3. Ablata acu filum in puncturis relinquitur.

4. Sic tot fiant puncturæ, quot vulneris longitudo pollices habet.

5. Demum compreſſis labiis vulneris plumaceolum oblongum unito vulneri imponitur, & deſuper fila ligantur in nodum elegantem, qui iterum reſolvi poſſit, ſi id neceſſitas exigeret.

Deligatio. Supra ſuturam ſplenia, fomentis reſolventibus madida, locantur, quæ faſcia firmari debent.

Poſt 10. vel 12. dies vulnere ſanato, ex uno latere fila deciduntur, ex altero extrahuntur.

Symptomata. Si vero magna inflammatio ſuturam ſequeretur, hæc relaxanda eſſet ad aliquot dies.

APPLICATIO VESICATORII.

Indicatio. Intentio derivationem vel ulcus artificiale, vel evacuationem faciendi.

Locus. Caput, nucha, ſpatium interſcapulare, interna ſuperficies brachii, femoris, cruris, retro aures.

Operatio. Emplaſtrum veſicatorium, quod magnitudinem figuram & craſſitiem bifloreni habet, parti apponitur, deſuper emplaſtrum diachilon ſim-

plex, & ſpleniolum locatur. Tandem omnis apparatus faſcia circulari firmetur, & per 12. horas relinquatur.

Deligatio prima. Inciſa veſica, exprimitur lympha, ſi ſuppuratio longior requiritur, *unguento* ad veſicatoria, ſi ſanatio indicatur, *unguento albo* deligatur.

Veſicæ detractatio, & inſperſio pulveris cantharidum, eſt mala methodus, dolentiſſima, ulcera maligna relinquens.

Si veſicatoriis repetitis, *Dyſuria cruenta* ſuperveniat, emulſio camphorata juvat.

APPLICATIO LAPIDIS CAUSTICI.

Indicatio. Quando abſceſſus aperiendus eſt.

Operatio. 1. Tumori emplaſtrum, cui hiatus inciſus eſt, agglutinatur.

2. Lapis cauſticus ſaliva emollitus hiatui imponitur.

3. Deſuper linteum carptum, aliud emplaſtrum & ſpleniolum applicatur, & totus apparatus faſcia circulari firmatur.

Poſt aliquot horas auffertur apparatus, inuſta cruſta unguento emollitur, donec ſuppuratione ſecedat.

APPLICATIO HIRUDINUM.

Indicatio. Quando hæmorrhoides cæcæ evacuari debent.

Hirudines per famem eſurientes redduntur. Locus cui applicantur bene lotus & fricus, vel ſanguine maculatus eſſe debet.

Operatio ipſa. 1. Hirudines ope manus linteo involutæ, vel ope lagenulæ parvæ parti apponuntur, donec firmiter adhærent.

2. Si ſanguine hauſto, ad crepaturam fere intumeſcunt, abſcinditur illis cauda.

3. Sufficienti ſanguinis quantitate obtenta, ſale vel cineribus inſperguntur hirudines, ſi non ſua ſponte a loco decidant.

4. Locus vino calido abluitur, & ſic etiam deligatur.

ARTERIOTOMIA.

Arteria *temporalis* ſola ſecure ut vena incidi poteſt.

Indicatur in pertinaciſſimis capitis vel oculorum morbis.

Inciſio ob rami arterioſi parvitatem transverſa eſſe debet.

Faſcia ſtellari vel *nodoſa* & compreſſione pyramidali ſiſtitur hæmorrhagia, ne aneuriſma ſequatur.

INOCULATIO VARIOLARUM.

Indicatio. Infantes ſani variolas nondum paſſi inoculantur.

Contraindicatio eſt omnis morbus.

Operatio. Lanceola cujus apex pure ex variola benigna illitus eſt ſub epidermidem in externo brachii latere in utroque brachio immergitur, dein apex ſub epidermide invertitur adeo ut pus varioloſum in vulnere maneat.

Variolæ poſt 8. vel plures dies erumpunt.

Vulnus non deligatur, infantes in aere ſereno detineantur extra lectum toto morbi tempore.

TREPANATIO CRANII.

Indicatio. 1. Effuſio ſanguinis ſub cranio.
2. Cranii fiſſura, vel impreſſio.
3. Caries cranium penetrans requirunt trepanationem.

Contraindicatio. Non fiat trepanatio ſine ſumma neceſſitate.

1. In *medietate oſſis frontis* propter ſinum longitudinalem.
2. Supra *ſupercilia* ob ſinus pituitarios frontis.
3. In *anteriori* & *inferiori angulo* oſſis parietalis, ob arteriam ſpinoſam duræ matris.
4. In *medietate* & *ad latera* medietatis oſſis occipitis ob finem ſinus longitudinalis, & ob ſinus laterales duræ matris.
5. Super *nulla ſutura* cranii, quia dura mater his firmiter adhæret. Niſi ſanguis ſub ea effuſus ſit.
6. Nec ſuper *oſſe vacillante*, ne imprimatur fragmentum oſſis in cerebrum.

Inſtrumenta requiſita pro *denudatione cranii.*
Scalpellum.
Spatha detruſoria.

Pro *Trepanatione.* *Trepanum perforativum.*
Trepanum cum *corona & pyramide.*
Clavis pyramidis.

Cochlea elevatoria orbiculi excisi.
Scopula setacea.
Dentiscalpium.
Scalpellum lenticulare.
Meningophylax seu *detrusor duræ matris.*

Pro *elevatione cranii. Elevatorium commune.*
——— *Petitianum.*

Præparatio diligationis. Linteolum orbiculare cum filio.
Lamina plumbea, cribrosa cum *ansis.*
Turunda orbicularis.
Linteum carptum crudum.
Spleniola varia.
Fascia capitis vel *mitra.*

Situs ægroti. Adeo ut pars, cui trepanum admovendum est, sit suprema.

Denudatio cranii, qua locus pro trepanatione paratur, fit incisione ope scalpelli, quo cranii integumenta ad cranium usque in foram X. vel T inciduntur, & spatha detrusoria a cranio separantur.

Trepanatio ipsa. 1. Chirurgus trepano integro ope pyramidis *stigma* imprimit loco trepanando.

2. Dein hoc stigma *trepano perforatorio* profundius redditur, ut pyramis trepani punctum fixum habeat super cranio.

3. Imponitur *trepanum integrum* & continuatur trepanatio in *diploem* cranii usque. Dum eximitur ope clavis pyramis ex corona, dentes coronæ dentiscalpio & scopula setacea a scobe purgantur.

4. Iterum imponitur trepanum sed *sine* pyramide, & continuatur trepanatio a diploe in intimam superficiem cranii usque. *Vacillatio* excisi orbiculi docet cranium perforatum esse.

5. Demum *cochlea* vel *stylo* eximitur orbiculus, trepano excisus.

6. Et dein *cultro lenticulari* pollitur margo excisus a spiculis prominentibus.

7. Sic sanguis sua sponte si vulneri incumbit æger, effluit, vel suspirio retento exprimitur.

8. Aut si sub *dura matre* sanguis effusus hæret, hæc lanceola cruciatim incidenda est.

Deligatio. 1. Foramini trepanato imponitur *orbiculus* ex linteo tenui cum filo.

2. Desuper *lamella* plumbea cribrosa cum ansis.

3. *Turunda* orbiculata.

4. *Plumaceola* plura.

5. *Splenina* plura fomento cephalico madida.

6. Omnia firmantur *fascia* capitali, vel *mitra* ex linteo.

Si os fractum & simul *impressum* est, tunc *vecte vulgari* vel *vecte Petitiano* fragmentum impressum elevari debet.

Si foramen trepano excisum non firmiter deligatur, tunc cerebrum in magnum *fungum* excrescit, hicce abscindi deberet.

POLYPI NASALIS EXSTIRPATIO.

Hæc fit per *extorsionem* si polypus parvus est, vel per *ligaturam* si polypi magni sunt.

Ad *extorsionem* requiritur peculiaris forceps, quo polypus prehendi & sensim & diu intorquendo in radice extorqueri, sed non vi evelli debet.

Ad *ligaturam* requiritur peculiaris canula, cui filum argenteum in ansam plicatum immittitur.

1. Ansa fili circa ventrem polypi applicatur. 2. Ope canulæ ansa circa polypum perpetua circumvolutione protruditur ad radicem polypi usque 3. Dein exterius sub canula fili extremitates attrahantur, & ansa circa radicem polypi locata, contorqueatur.

Sic omnibus 24. horis ope canulæ magis ansa fili contrahitur, donec post 14. dies citius vel tardius polypus corruptus ex nare excidat.

Exstirpatio polypi per *caustica* vel per *excisionem* raro possibilis & semper periculosa est.

HÆMORRHAGIÆ

HÆMORRHAGIÆ NASALIS OBTURATIO.

Si *acetum* vel *aqua* frigida naribus attracta, *venæ Sectio* in pede, *injectio* aquæ vitriolatæ, vel thedianæ, non juvat, tunc nares fungo agarico, vel linteo carpto implendæ, & obturandæ sunt.

Fumus ex alumine ope infundibuli in nares attractus sæpe juvat, facies larva tegi debet, alias admodum ex hoc fumo rubet.

Si obturatio anterioris narium foraminis etiam non prodest, tunc & foramen narium posterius obturari debet, quæ res optime succedit instrumento D. LE DRANE.

TRACHEOTOMIA.

Indicatur,

1. Si angina inflammatoria suffocationem facit.
2. Si corpus heterogeneum in trachea hæret.

Instrumenta. Scalpellum acutum.

Cannula laryngea *Cl. Prof.* RICHTER.

Deligatio Linteum ex sindone rarissima.

Emplastrum fenestratum.

Spleniolum fenestratum.

Fascia pollicis lata.

Linteum carptum.

Situs ægri. Sit in Sella sedens.

Operatio ipsa,

1. Scalpello acuto integumenta communia a larynge ad tres pollices super trachea longitudinaliter inciduntur.

2. Linea tendinea, quæ a muſculis ſternohyoideis, & ſternothyroideis ſuper trachea formatur, etiam longitudinaliter inciditur.

3. Tandem ſcalpello *cannulato* ſpatium membranaceum inter 3tium & 4tum, vel 4tum & 5tum anulum cartilagineum tracheæ tranſverſim inciditur.

4. Extracto ſcalpello, cannula, ope ſuorum ligaminum in nucha firmatur.

Deligatio. Vulnus ſupra & infra linteo carpto expletur.

Cannulæ opertura.

1. Sindone ſeu linteo raro tegitur.
2. Emplaſtrum feneſtratum.
3. Splenium feneſtratum imponitur, &
4. Hæc omnia faſcia pollicis lata, circularibus circumvolutionibus firmantur.

Curata angina, quod noſcitur ex facili reſpiratione, ſi cannulæ apertura digito claudatur, cannula eximitur, & vulnus emplaſtro unitur, atque ſic ſanatur.

Si tracheotomia ob *corpus heterogeneum* in trachea hærens inſtituatur, tunc tracheæ inciſio longitudinalis per 4. vel 6. annulos cartilagineos fieri debet, ut dein forcipe in tracheæ cavum immiſſa, corpus heterogeneum commode extrahi poſſit.

OESOPHAGOTOMIA.

Eſt *œſophagi inciſio.*

Indicatur. Si corpus heterogeneum magnum, adeo œsophago sit impactum, ut nec sursum, nec deorsum possit loco moveri.

Locus incisionis. Juxta tracheam in sinistro latere.

Operatio ipsa.

1. Fieri debet juxta sinistrum tracheæ latus incisio longitudinalis integumentorum communium colli.
2. Per uncum latum, & obtusum retinentur partes molles a trachea.
3. Prominens œsophagi pars longitudinaliter incidatur adeo, ut vulnus sufficiat pro extractione corporis.
4. Demum forcipibus, digitis, vel cochleari extrahitur ex œsophago corpus heterogeneum.

Extratione facta vulnus emplastro, spleniolis, & fascia unitur.

EXEMPTIO CORPORIS HETEROGENEI EX FAUCIBUS.

Corpora heterogenea ex faucibus 1. Digitis.
2. Forcipibus
3. Balena eximuntur.

Si *eximi non* possunt, trudantur ope balenæ in ventriculum.

Metalla excepto ferro, quod acidis solvitur, mercurio vivo solvi possunt, si in ventriculo retineantur. Corpora majora, & indissolubilia e ventriculo etiam exscindi possunt.

AMPUTATIO MAMMÆ.

Indicatur, ſi mamma cancroſa eſt.

Contraindicatur. 1. Si cancer a cauſa interna, 2. ſi mamma muſculo pectorali fortiter adhæreat. 3. Si plures partes, ut glandulæ axillares jam cancroſæ ſint, ſi tarſi palpebrarum perpetuo rubeant.

Inſtrumenta. Scalpellum acutum, &

Acus cum filo pro ligatura arteriæ mammariæ.

Deligatio. Glomer magnus ex linteo carpto.

Splenia.

Faſcia.

Operatio. 1. Fiat inciſio per mammam a ſterno verſus axillam. 2. Dein pinguedo totius mammæ ope manus ſiniſtræ elevatur, & perpetuis ſectionibus a muſculo pectorali majori ſeparatur.

Demum *arteria mammaria* ſanguinem plorans, ligatur. Quod autem raro neceſſarium eſt.

Deligatio. 1. Imponitur vulneri *glomer* magnus, ſiccus vel ſpiritu terebinthinæ madidus.

2. Duo *emplaſtra* longa cruciatim poſita.

3. *Spleniola.*

4. *Faſcia.*

Tertio die ope balſami Arcæi ſuppuratio, & dein ſanatio, atque ultimo cicatriſatio procuratur.

PARACENTHESIS THORACIS.

Indicatur quando *ſanguis*, vel *aqua* vel *pus* in thoracis cavo effuſum educi debet.

Locus. Ad palmæ latitudinem a ſpina dorſi, ſupra tertiam coſtam ſpuriam ab inferiori numeratam.

Inſtrumenta. Culter acutus.

—— apice obtuſo.

Deligatio. Cannula vel linteolum efimbriatum.

Plumaceolum.

Faſcia lata.

Situs ægroti. Super ſella æger dorſum luci obvertat.

Operatio ipſa. 1. Cutis diſcindatur longitudinaliter ad tres pollices.

2. Etiam longitudinaliter diſcindatur muſculus latiſſimus dorſi.

3. Tandem tranſverſaliter incidantur muſculi intercoſtales uſque ad pleuram; inciſio fiat in medietate ſpatii intercoſtalis.

4. Parvum vulnus transverſale infligatur pleuræ. Hoc vulnus ſcalpello capitato ad medium pollicem dilatetur.

5. Sic ægro in vulnus locato effluit ſanguis, vel aqua vel pus in cavo thoracis contentum.

Deligatio. Emiſſo fluido, vulnus, linteo efimbriato intruſo, plumaceolo, & faſcia lata firmetur. Et

ſi nil amplius ex vulnere effluat, vulnus conſolidetur emplaſtro tenaci.

Si pleuræ eſſet *accretus pulmo* in loco operationis, tunc digiti minimi apice deberet deglubi a pleura, vel ſi hæc ſaparatio impoſſibilis eſſet, deberet nova inſtitui operatio ad quatuor digitos a ſterno intra ſextam, & ſeptimam coſtam veram.

TREPANATIO STERNI.

Indicatur. Si in antico ſpatio mediaſtini ſub ſterno *ſanguis*, vel *pus* lateat.

Operatio fit iisdem inſtrumentis, ac eadem methodo, ut trepanatio in cranio.

PARACENTHESIS ABDOMINIS.

Indicatio eſt hydrops abdominis, medicamentis incurabilis.

Locus in medietate inter ſpinam anteriorem oſſis ilei, & inter umbilicum. Locus filo menſuretur, & atramento notetur.

Inſtrumenta ſunt *Acus triquetra.*

Vaſa pro excipienda aqua.

Deligatio. Cingulum abdominale.

Spleniolum ſpiritu vini madidum.

Cardiaca ut vinum forte.

Situs pro operatione eſt ſedens ad marginem lecti.

Præparatio. Abdomen cingulo bene comprimitur, & feneſtra cinguli aperitur.

Operatio ipſa.

1. Chirurgus acum triquetram in loco notato parum oblique in abdominis cavum immergit.
2. Extrahit acum ex cannula, & hanc in abdomine relinquit.
3. Excipit vaſe effluentem aquam.
4. Quotiescunque cingulum abdominale flacceſcit, illud ſuis loris firmiter contrahitur.
5. Aqua omni effluxa extrahit cannulam, & vulnus ſpleniolo ſpiritu vini madido, vel emplaſtro anglicano deligat, atque cingulum abdominale per aliquot dies abdomini applicatum relinquit.

Si ſub operatione *animi deliquium* ſupervenit illico cannula obturatur, cingulum abdominale contrahitur, æger aqua frigida, & vino cardiaco refocillatur.

Si animi deliquium non ſuperveniat; omnis aqua ſimul emittitur.

GASTRORAPHIA, SEU SUTURA ABDOMINALIS.

Indicatur in vulnere penetrante abdominis.

Inſtrumenta. Si vulnus 4. pollices longum, requiruntur

1. Sex *acus magnæ*, & *curvæ.*
2. Tria *fila cerata.* Acus una fit in qualibet fili extremitate.

3. *Bacillus* ex calamo.

4. *Plumaceolum oblongum* balſamo arcæi illitum.

Operatio. 1. Manus ſiniſtræ digito indice, & pollice attrahitur peritoneum. 2. Acus unius extremitatis ab introrſum per peritoneum, & omnes partes molles extrorſum ducitur. 3. Talis punctura fiat in oppoſito latere cum acu alterius extremitatis. Sic fiant tres ſuturæ.

Demum ſuper bacillum fila in nodum elegantem conſtringuntur.

ENTERORAPHIA, SEU SUTURA INTESTINALIS.

Indicatio. Inteſtina integre, vel ſemidiſſecta.

Inſtrumenta. 1. *Acus* curvæ, & tenues.

2. *Fila* cerata ſed diverſi coloris.

3. *Tubus* ex charta luſoria formatus, duos pollices longus.

Operatio. 1. Tubus chartaceus in ſuperiorem inteſtini diſſecti portionem immittitur.

2. Dein hæc portio inteſtini ſimul cum tubo, inferiori portioni inteſtini diſſecti imponitur.

3. Unitis inteſtinis acus curva adeo immergitur, ut ex altero margine inteſtini læſi, & intromiſſæ chartæ iterum emergat.

4. Tandem acus a filo auffertur, & fili duo extrema ſolummodo contorqueri non in nodum conſtringi debent.

5. Tales ſuturæ fiant 2. vel 3. Dein fila extra vulnus abdominis emplaſtro tenaci cuti firmiter agglutinentur, & vulnus abdominis tandem gaſtroraphia uniatur.

6. Poſt 20. dies fila ex una parte abſcinduntur, & ex eo latere extrahuntur ex inteſtinis. Tubus chartaceus interea cum fœcibus alvinis exit.

ANI ARTIFICIALIS FORMATIO.

Indicatio. Si ſutura inteſtinalis fieri non poſſit, tunc ſuperius inteſtini diſſecti extremum vulneri abdominali per ſuturam uniatur, & ne vulnus concreſcat, turunda vulneri imponatur.

Orificium ani artificialis *pila* excavata, & *bracherio elaſtico* affixa comprimitur, ne fœces perpetuo exeant.

HERNIOTOMIA.

Indicatur, ſi hernia incarcerata, & nulla alia arte reducibilis eſt.

Inſtrumenta. Scalpellum ſimplex, & occultum.
Sulcus, &
Dilatatorium.

Deligatio. Linteum carptum.

Fascia lata T.

Spleniola.

Situs ægroti. In lecto divaricatis, & elevatis genubus.

Operatio. 1. Fiat longitudinalis incisio integumentorum herniæ ab annulo usque in fundum scroti.

2. Fiat parva incisio *sacci herniosi*, hæc immisso sulco cavo dilatetur sursum usque ad annulum inquinalem.

3. Tandem si repositio prolapsarum partium ob annuli angustiam fieri nequeat, tunc ille vel *dilatatorio*, vel *scalpello occulto* sursum, ac simul introrsum versus umbilicum dilatetur ad medium pollicem.

4. Tandem fiat repositio intestinorum, & dein omenti prolapsi.

Si vero *omentum* scirrhosum, vel gangrænosum est, tunc abscindendum est.

Si *intestina* gangrænosa essent, anus artificalis formari deberet. Raro enim enteroraphia fieri potest.

Deligatio. Vulnus unitur plumaceolis, spleniis, & fascia.

OPERATIO CÆSAREA.

Indicatio. 1. Si fæmina sub graviditate moriatur.

2. Si ob pelvim angustam partus impossibilis sit.

3. Si fœtus extra uterum vel conceptus, vel per ruptum uterum elapsus sit.

Operatio. 1. Fiat ad palmæ latitudinem ab umbilico vulnus 6. pollicum usque in abdominis cavum.

2. In parte laterali uteri fiat vulnus 5. pollicum, dein eximatur fœtus & placenta.

3. Tandem utero contracto, & sanguine e cavo abdominis expurgato, gastroraphia vulnus abdominale uniatur.

In *mortua* fieri debet operatio ut in viva muliere. Est autem hæc operatio in viva femina periculosissima, raro felicis exitus.

PARACENTHESIS SCROTI.

Indicatur in *hydrocele vaginali* scroti.

Ope *parvæ acus triquetræ* fit punctura in fundum scroti parum oblique, ne testiculus lædatur, qui manu sinistra sub punctura sursum premi debet.

Raro punctura *radicaliter* curat hydrocelem; sed illam solummodo ad tempus palliative sanat.

Persæpe *hæmatocele* ingens sequitur puncturam scroti. Hæc requirit magnam scroti incisionem.

SECTIO SCROTI INTEGRA.

Indicatur. In *hydrocele vaginali.*

1. Cutis longitudinaliter inciditur.

2. Vulnus hoc sursum ac deorsum dilatatur usque ad fundum scroti.

3. Sic etiam tunica vaginalis testiculi perscinditur.

4. Emisso liquido aquoso, totum vulnus linteo carpto impletur, & excitata suppuratione iterum sanatur.

SETACEUM SCROTI.

Indicatur in *hydrocele vaginali.*

Acus triquetra cava per scrotum pungitur, & ligamen per septimanas aliquot relinquitur.

CASTRATIO.

Indicatur in cancro testiculi.

Contraindicatio. Si funiculus spermaticus jam ultra annulum inguinalem scirrhosus est.

Operatio. 1. Fiat *denudatio* testiculi per *sectionem integram* scroti.

2. Dein ope acus latioris & fili quadruplicis totus funiculus spermaticus super spleniolo ligetur.

3. Tandem separetur testiculus sub ligatura a vicinis partibus, sed relinquatur donec putrescat, tum abscindatur sub ligatura.

4. Totum vulnus linteo carpto sicco impletur, & facta supuratione sanatur.

AMPUTATIO PENIS.

Indicatio. Cancer glandis & præputii.

Operatio fit per *ligaturam* vel per *abscissionem.*

Ligatura exigit ut *canula argentea* in urethram immittatur, ut æger tempore, quo ligatura in membro relinquitur, urinam mittere possit.

In *abscissione* penis per cultrum, sanguis ex duabus arteriis prosilit, si aqua thediana sisti hæmorrhagia non possit, compressio membri ope fasciæ ad cannulam, quæ in urethra est, fieri debet.

CATHETERISMUS.

Indicatur in omni *retentione urinæ*, & etiam pro *exploratione* calculi in vesica.

Catheter duplici methodo applicatur

1. Methodo simplici, &
2. —— cum versione magistrali.

In *applicatione simplici* membrum manu sinistra servatur, & catheter, cujus apex oleo illinitus esse debet, immittitur in urethram adeo, ut curvatura catheteris deorsum sit versa, & sic in vesicam paullatim immergitur.

In *applicatione magistrali* imponitur catheter urethræ adeo ut ejus curvatura sit sursum versa, sic immergitur catheter tantum, quantum possibile est, dein subito vertitur catheteris curvatura deorsum, sic subinde facilius penetrat catheter in vesicam.

Immisso cathetere extrahitur filum argenteum, & emittitur urina, quæ vase excipitur.

In *mulieribus* facilius applicatur catheter, quia earum urethra brevis & recta est. Habetur pro illis *peculiaris* catheter, qui brevis est.

PUNCTURA VESICÆ.

Indicatur si *urina* jam diu *retenta* nullo modo per catheterem extrahi possit, & æger in mortis periculo jam versetur.

Instrumentum est longa & curva acus triquetra.

Locus tutissimus est per intestinum rectum.

Operatio ipsa. Duo digiti manus sinistræ in intestinum rectum imponuntur, inter hos adeo immergi debet acus triquetra, ut per intestinum in vesicam usque intrudi possit.

Dein extrahitur acus & cannula in vulnere & vesica relinquitur per aliquot dies, nempe donec sua sponte per urethram urina exeat.

URETHROTOMIA.

Indicatur in *calculo*, qui in urethra impactus hæret.

Locus est in parte inferiore membri virilis ubi calculus tangitur.

Ibi fiat longitudinalis incisio, ut calculus parvo cochleari vel forcipe extrahi possit.

Vulnus sanatur emplastro adhæsivo.

OPERATIO FISTULÆ ANI.

Indicatur in fistula completa, vel incompleta, quæ alia methodo insanabilis est.

Contraindicatur. Si fistula nimis alta, si caries ossis sacri adest, si omnis pinguedo circa intestinum rectum jam consumpta, & fistula ani cancrosa est.

Inſtrumenta. Culter curvus cum apice obtuſo.
Forfex.

Deligatio. Turunda longa.
Plumaceola plura.
Splenia.
Faſcia T.

Præparatio ægroti. Die ante operationem purgans datur. Aliquot horas ante operationem enemate eluuntur inteſtina, & in plethoricis veneſectio inſtituitur.

Situs. Æger in lecto in genua flexus, & pectore antrorſum flexo locetur.

Operatio. 1. Chirurgus indicem ſiniſtræ manus oleo illinitum immittat in inteſtinum rectum, & orificium internum fiſtulæ tangat apice digiti.

2. Dextra manu cultrum per fiſtulam trudat uſque in inteſtini recti cavum.

3. Apice indicis, qui in inteſtino eſt & altera manu ope manubrii, quod extra fiſtulam eſt, deorſum per omnes ſubjacentes partes trahatur acies cultri.

4. Dein calloſitates ſi adſint exciduntur forfice.

Deligatio. Turunda longa immittitur inteſtino recto. Vulnus expletur linteo carpto, deſuper ſpleniis & faſcia T firmatur.

Operatio *fiſtulæ externæ* requirit, ut cultro perforetur inteſtinum rectum, & dein ulterior ſectio, ut in caſu priori fieri debet.

In *fistula interna*, prius externe debet incisio in fundum fistulæ fieri, sic ex fistula incompleta completa fit, quæ eandem exigit operationem.

Fistulæ *altiores* instrumento Celeber. D. *Brambila* discindi possunt.

AMPUTATIO FEMORIS.

Indicatio est 1. *Sphacelus* totius cruris.
2. *Comminutio* ossium cruris.
3. *Caries magna* articulationis genu.

Contraindicatio est sphacelus ad inguina jam ascendens, vel a causa interna natus.

Instrumenta. 1. *Tornaculum.*
2. *Acus curvæ* cum filis ceratis & parvum spleniolum.
3. *Culter magnus falcatus.*
4. *Culter rectus.*
5. *Serra.*
6. *Ligamen.*
7. *Linteum fissum.*

Pro deligatione. 1. *Plumaceola parva* terebinthinæ spiritu madida.
2. *Glomer magnus* ex linteo carpto.
3. *Emplastra* 2. longa.
4. *Splenium* in forma crucis malthensis.
5. 2. *Longa splenia.*
6. *Fascia* 6. ulnas longa, in duo capita convoluta.

Situs

Situs ægroti. Sedeat in magna ſella, vel in lecto verſus lucem.

Operatio ipſa. 1. Applicatur *tornaculum* ad arteriam femoralem, quæ in interna parte femoris eſt.

2. Ad duos digitos ſupra genu ligatur *ligamen*, juxta quod inciſio fieri debet.

3. *Cultro falcato magno* fiat inciſio circularis omnium partium ad oſſa usque.

4. Dein *cultro recto* deorſum abraditur perioſteum.

5. Applicatur *ligamine ablato* linteum *fiſſum* adeo, ut eo carnes ſurſum ab adjutore trahantur.

6. Demum *ſerra magna* perſcinditur os femoris, & pars amputata, & linteum fiſſum auffertur.

7. *Tornaculum* parum relaxatur, ut ex proſiliente ſanguine videri poſſit, ubi arteria femoralis diſciſſa hæreat.

8. *Acus curva* juxta arteriam immergitur per pinguedinem, quæ arteriam circumdat, & ex altera parte arteriæ iterum educitur acus, atque auffertur a filis. Dein arteriæ apponitur parvum ſplenio-

lum, ac desuper fila constringuntur in nodum.

Deligatio.

1. Deligata arteria ossi abscisso imponitur *plumaceolum* spiritu terebinthinæ madidum.
2. Toti vulneri imponitur *glomer* magnus siccus.
3. Glomer firmatur duobus *emplastris* longis cruciatim impositis.
4. Dein imponitur *splenium*, quod crucis malthensis figuram habet.
5. Ultimo *fascia* firmantur omnia circularibus circumvolutionibus.
6. Femur amputatum imponitur *sacco stramineo*, & tornaculum sensim ac sensim relaxatur, sed non penitus primis diebus aufferatur.

Curatio reliqua. Tertio die aufertur tota deligatio, & glomer magnus balsamo Arcæi illitus imponatur, ut in vulnere suppuratio moveatur, & loco fasciæ longæ *fascia multicapitata* applicetur.

Facta ubique vulneris suppuratione, vulnus aqua vulneraria, os spiritu terebinthinæ, vel essentia mastichina sanatur.

Ligatura utplurimum circa 14tum diem ab arteria ligata decidit.

Sanato vulnere adaptatur *crus ligneum artificiale.*

In amputatione, *cruris*, *caro interossea* cultro recto discinditur, & deorsum truditur. Dein serra primum tibia inciditur aliquantum, tandem simul fibula.

In *femore* arteria femoralis, in *brachio* brachialis, in *crure* tibialis antica, tibialis postica, & peronea, in *antibrachio*, cubitalis, radialis, & interossea ligari debent.

Si *phalanx* manus, vel pedis amputari debet, tunc hæc ex articulatione exscindenda est.

DOCTRINA DE MORBIS OCULORUM.

OPHTHALMIA.

Est inflammatio membranæ albugineæ oculi.

Dividitur in *humidam*, quæ lachrymis noscitur.

in *siccam*, quæ sine lachrymis est.

Inflammatio oculorum humida resolvitur.

1. *Venæ sectione.*
2. *Purgantibus.*
3. *Vesicatoriis* in nucha, aut
4. *Hirudinibus* ad tempora applicatis.
5. *Collyriis*, seu *aquis ophthalmicis* leniter adstringentibus, ut

Aqua rosarum vitriolata.

—— vegeto mineralis.

—— *frigidissima.*

Ophthalmia ſicca requirit *collyrium emolliens*, ut *Cataplaſma* ex mica *panis* albi, & *lacte*.

——— ex *pulpa pomorum* cum *croco*, & *camphora*.

Ophthalmia a contuſione oculi requirit vinum tepidum, in quo herbæ cephalicæ ſunt infuſæ.

Ophthalmia inveterata requirit præter laudata remedia etiam *ſetacea*, & *fonticulos*.

HYPOPIUM.

Eſt puris *effuſio* in cameram anteriorem oculi.

Niſi *fomentis reſolventibus* pus abſorbeatur, parva *inciſio* in inferiori corneæ parte fieri debet, ut pus effluere poſſit.

PTERYGIUM.

Eſt macula opaca, in cornea pellucida oculi.

Ad *curationem* requiritur.

1. *Unguentum Sæntyvianum*.
2. *Butyrum* recens cum *præcipitato rubro*, vel
3. *Pulvis ophthalmicus* ex partibus æqualibus ſacchari, cremoris tartari, & boli armenæ.

TRICHIASIS.

Eſt ciliorum inverſio verſus oculi bulbum.

Curatio exigit, ut *volſella parva* cilia inverſa evellantur.

FISTULA LACHRYMALIS.

Eſt muci puriformis effluxus e punctis lachrymalibus.

Diviſio in *apertam*, quæ ulcus in interno angulo habet.

— *occultam*, quæ ſine ulcere externo eſt.

— *Complicatam*, quæ cum obſtructione ductus naſalis complicata eſt.

Occulta fiſtula lachrymalis curatur *inſtillatione* collyrii vitriolati. *Injectiones* peractæ ſunt nullius uſus ope ſyphonis *Annelliani* per punctum lachrymale inferius.

Aperta fiſtula lachrymalis curatur, ut aliud ulcus calloſum.

Fiſtula lachrymalis *complicata* cum *obſtructione* ductus naſalis exigit, ut ſaccus lachrymalis *incidatur*, & ut obſtructio *ſtylo*, vel *ſetaceo e chorda fidium* in naſalem ductum immiſſo, aufferatur.

CATARACTA.

Eſt *cæcitas* ab opacitate lentis cryſtallinæ.

Noſcitur hæc cæcitas ex pupilla ægroti albicante, quæ in ſtatu ſano nigra eſſe debet.

Cataracta rariſſime *curatur* medicamentis. Sed poſſunt ea tentari, quæ contra amauroſim laudantur.

Si medicamentis malum non cedat *operatio* fieri debet. Hæc duplex eſt 1. per *extractionem* cataractæ.
2. per *depreſſionem* cataractæ.

AMAUROSIS.

Eſt plenaria *cæcitas* ſine apparente oculi vitio.

Cauſa proxima eſt paralyſis nervi optici.

Ad *curationem* laudatur aliquoties dato tartaro emetico & ſetaceo ad nucham inciſo

1. *Infuſum arnicæ.*
2. *Extractum pulſatillæ nigricantis.*
3. ——— *Aconiti* cum *mercurio dulci.*
4. *Electricitas.*

ETROPIUM.

Eſt inverſio palpebræ inferioris.

Curatio exigit ut caro fungoſa inverſæ palpebræ forfice exſcindatur. Externa transverſalis palpebræ cutaneæ inciſio nihil prodeſt.

DOCTRINA DE MORBIS DENTIUM.

ODONTALGIA.

Est dolor dentium. *Odontalgia rheumatica*, ſeu a rheumatica inflammatione gingivarum exigit collutorium ex ruta vel radice pyrethri in vino cocta; interne ſudorifera dentur.

Odontalgia carioſa exigit evulſionem dentis.

Odontalgia consensualis seu a saburra ventriculi, curatur vomitorio, a graviditate curatur venæsectione & nervinis.

DENTITIO DIFFICILIS INFANTUM.

Dens erumpens in gingiva maculam albam, vel tumorem rubentem facit, si convulsio exinde oriatur, gingiva cruciatim discindi debet.

PARULIS.

Est *tuberculum inflammatorium* in gingivis.

Oritur utplurimum a radice dentis *cariosa*.

Incipiens inflammatio subinde resolvi potest *collutorio* ex herbis resolventibus.

Si resolutio non contingat, tunc *suppuratio* debet promoveri ope *collutorii* ex ficubus in lacte coctis.

Dein *abscessus* lanceola aperitur.

Ulcus dein sanatur *collutorio vulnerario* ex decocto rutæ, salviæ cum melle rosaceo.

Curato tumore dens cariosus evelli debet, alias post aliquot septimanas redit malum.

EPULIS.

Est *tuberculum fungosum* ex gingiva excrescens.

Causa est caries alveoli.

Curatio exigit excisionem tumoris, & evulsionem dentis cariosi.

TARTARUS DENTIUM.

Eſt terreus mucus, qui dentes incruſtat.

Si tartarus per pulveres dentifricios, ex conchis præparatis, detergi non poteſt, tunc inſtrumento acuto tartarus findi, & fruſtillatim detrudi debet.

VACILLATIO DENTIUM.

In ſenibus, in ſcorbuticis, & ab uſu mercurii obſervatur, exigit collutorium adſtringens vel tinctuam laccæ.

HÆMORRHAGIA ALVEOLARIS.

Quæ evulſionem dentis ſequitur calido & forti aceto ſiſtitur.

Si vero fluxus ſanguinis nimius eſt, tunc ſtylo acuto arteriola fundo alveoli acreta dilacceretur, & dein maſticata charta bibula impleatur atque alio corpore duro deſuper poſito, utraque maxilla firmiter colligetur.

CARIES DENTIUM.

Si omnes fere dentes ſint nigricantes, tunc collutorium ex ruta & ſalvia adhibeatur.

In carie *foraminoſa* foramen auro expleatur, vel ſtylo candente uratur.

Caries *magna* evulſionem dentis exigit. Hæc peragitur *clave anglicana*, vel *pelicano*, vel *forcipe dentaria ſimplici* aut *compoſita*.

Evulſio dentis in ſcorbuticis aut in gingivis multum inflammatis admodum periculoſa eſt.

MORBI CUTANEI.

VERRUCÆ.

BENIGNÆ ſeu non dolentes quotidie *ſpiritu vitrioli* tangantur, & *emplaſtro* albo tegantur.

Malignæ ſeu lividæ & dolentes in cancrum abeunt.

CLAVUS.

Clavi digitorum pedis *pediluviis* emmolliantur & dein parvo *emplaſtro veſicatorio* vel *diachilon* tegantur.

SCABIES.

Noſcitur puſtulis prurientibus in digitorum interſtitiis incipientibus.

Dividitur in ſcabiem *ſiccam*, quæ puſtulas ſiccas
— —— *humidam* quæ puſtulas ſuppurantes format.

Interne detur *purgans*.
Decoctum purificans.
Æthiops mineralis vel *flores ſulphuris* cum *extracto enulæ*.

Externe, *balnea ſulphurea*.
unguentum helleboratum.
——— ex *præcipitato albo* laudatur.

Scabies *ſquammoſa* quandoque decocto *corticis ulmi* curatur.

SCABIES CAPITIS.

Format cruſtas humidas in capitis parte capillata.

Subitanea exſiccatio peſſimos morbos oculorum, vel pulmonum facit.

Præter purgantia, & purificantia lavetur caput *decocto ſpecierum emollientium* & *melle*.

TINEA CAPITIS.

Format cruſtas ſiccas virideſcentes.

Interne mercurius gummoſus, externe lavamentum ex ſpeciebus emollientibus cum radice hellebori albi, & ſublimato corroſivo prodeſt.

Subinde unguentum ex *præcipitato rubro*, & viridi æris profuit.

CRUSTA LACTEA.

Eſt *ſcabies cruſtoſa*, quæ in buccis faciei infantum oritur.

Interne dentur *purgantia*, & *decoctum bardanæ*, ac *violæ tricoloris*.

HERPES.

Eſt macula puſtulis prurientibus, & tuberculis quandoque cruſtoſis obſita.

Si *unguentum helleboratum* non prodeſt, applicetur *emplaſtrum veſicatorium*.

VARI.

Sunt puſtulæ rubræ, & duræ in facie vel circa naſum, quæ etiam *gutta roſaceo* vocantur.

Facies *aqua ſale marino impræegnata* tenui ſolutione ſublimati abluatur. Interne dentur purgantia.

Livida faciei tubercula ſæpe in cancrum abeunt.

HYDATIS.

Veſiculæ aqua repletæ *hydatides* vocantur.

Curatio exigit inciſionem veſicularum & exſiccationem.

LENTIGINES.

Seu *maculæ ſolares* abluantur *aceto armoraciæ.*

MORBI VENEREI.

SUNT morbi, qui a miaſmate venereo oriuntur.

In omnibus morbis venereis *interne* datur *mercurius gummoſus* mane, ac veſperi grana X. cum decocto bardanæ, vel ſarſaparillæ vel lignorum.

Demum ſub uſu mercurii omni octiduo detur purgans.

Externa medicamenta autem requiruntur varia.

GONORRHÆA.

Eſt fluxus puriformis ex urethra.

Oritur a coitu cum fæmina, quæ fluore albo venereo laborat.

Primis diebus *dyſuria*, ſeu doloroſa urinæ emiſſio adeſt.

Curatio exigit 1. *Emulſionem* refrigerantem.
2. *Decoctum altheæ.*
3. *Purgans* eccoproticum ex rheo, & ſale mirabili.

Remittente ardore urinæ detur pulvis balſamicus.

R. *Rhei electi.*

Salis mirabilis aa ℥j.

Balſami copaivæ. gt. vj.

Miſce dividatur in IV. doſes. Signetur omni quadrihorio unus ſummatur.

Injectiones adſtringentes in urethram factæ nocent, inde oriuntur *bubones* vel teſticulorum *inflammationes.*

At *injectiones* ex ℔j aquæ, mucilaginis gummi arabici ℥j, ac merc. ſublimati corroſivi grano uno & ſemis gonorrhæam brevi curant.

FLUOR ALBUS.

Eſt fluxus puriformis ex vagina muliebri.

Oritur a coitu cum viro *gonorrhæa* affecto.

Curatur ut gonorrhæa.

BUBONES.

Sunt intumeſcentiæ glandularum inguinalium.

Reſolvantur emplaſtro mercuriali, vel *aperiantur* lapide cauſtico.

Ulcera venerea inguinum ſolutione ſublimati curantur.

PHYMOSIS.

Eſt inflammatio venerea præputii.

PARAPHYMOSIS.

Eſt inflammatio venerea glandis, præputium colaris adinſtar reprimit.

Phymosis, & paraphymosis curantur balneo penis in lacte cum mercurio *gummoso* cocto, vel solutione sublimati.

Si ob strangulationem glandis instaret ejus gangræna, tunc præputium cultro discindi deberet.

INFLAMMATIO TESTICULORUM.

Curatio præter emulsionem refrigerantem, & mercurium gummosum exigit cataplasma ex speciebus emollientibus cum aqua vegetominerali coctis.

ULCERA VENEREA GLANDIS.

Ulcera *glandis* vel *præputii*, quæ *cancri venerei* vocantur solutione mercuriali deligantur.

R. Mercurii sublimati corrosivi. gr. IV.
Aquæ florum sambuci. ℥j.
Mellis rosacei. ℥ß.
misceatur.

ANGINA VENEREA.

Ulcera venerea *faucium* eadem solutione ope pennicilli aliquoties de die illiniantur, decocto bardanæ cum mercurio interne dato.

OZÆNA VENEREA.

Ulcera in cavitate narium, vel in nasi externa superficie *curantur* solutione sublimati ad ulcus applicata.

Septo narium erosione destructo *callabitur* totus nasus.

CONDYLOMATA.

Sunt excrescentiæ fungosæ circa anum, & genitalia.
Curatio. Illiniantur forti solutione sublimati, dein tegantur unguento mercuriali.

TOPHI.

Seu tumores venerei in ossibus *emplastro*, vel *unguento mercuriali*, atque decocto *mezeræi* resolvuntur.

ARTHRITIS VENEREA.

Est dolor capitis, & articulorum, qui noctu augetur, & de die multum remittit.
Curatur interno usu mercurii gummosi.

SCABIES VENEREA.

Facit maculas, & varos in fronte, ac in aliis partibus.
Præter usum internum mercurii, potest pars scabiosa tenui solutione mercurii sublimati lavari.

FINIS.